Digitized by Google

Cl. 146 2/



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900

B. I. V. H.
10, a

Double
de 10016.

B
85.

DE RATIONE communi omnium lin guarum & literarũ com mentarius Theodori Bibliandri.

CVI adnexa eſt compendiaria explicatio do ctrinæ recte beateq; uiuẽdi, & religionis omnium gentium atque populorum, quam argumentum hoc poſtulare uidebatur.



Bibliothèque Royale de Belgique
Double échangé ou vendu

TIGVRI APVD CHRISTOPH. FROSCH. AN. M. D. XLVIII.

BIBLIOTHÈQUE
DE L'UNIVERSITÉ
DE GAND

AD ECCLESIAE CHRISTIANAE PRAESIDES THEODORI BIbliandri præfatio.

QVVM *argumentum, quod hoc commentario qualicunq; ſucceſſu tractaui, res duas attingat, quæ in eccleſia Chriſtiana proculdubio primatum obtinent, religionis & recte uiuendi doctrinã, & linguarum explicationem; exiſtimaui, patres reuerendiſſimi, uiriq; eruditi, uos potiſſimum in præfatione appellandos eſſe. Vos inquam eccleſiæ antiſtites, quibus uerbi diuini enarratio, & diſpenſatio ſacramentorũ, & publica morum diſciplina credita eſt, quiq; profitendo bonas literas & linguas, nec non regendo ludos literarios honeſtiſſima, & haud ſcio an dicere debeam, ſuprema, eccleſiæ dei munera geritis.* Non ut uos exhorter ad conſeruandum & ſumma ope tuendum eas res, ſine quibus eccleſia nequit omnino conſiſtere, quæ ſunt per ſe merito bonis omnibus & literatis uiris longe commendatiſſimæ. Et habent ſuos præcones magis idoneos, quàm ut in eo argumento nobis uix mediocriter literatis aliquid relictum ſit, quod agatur commendando res iuxta pulcherrimas & utiliſſimas. Verum cenſeo uobis, paucis uerbis reddendas eſſe cauſas, ob quas hoc tempore animum appuli ad ſcribendum de ratione linguarum, & de religionis doctrina, quo patria Germania uix reſpirauit à funeſtiſſimis bellis, & multus apparatus eſſe fertur, ut authoritate concilij Tridentini religionis controuerſia tandem finiatur. Primum igitur, quod linguarum & literarum adtinet tractationem, quum uiderem tria hominum genera eorum etiam, qui literas & ſtudia liberalia colunt, minus recte iudicare de linguis, uolui eorum opinionem emendare, quantum à me quidem præſtari potuit. Aliqui enim præcipuum uſum linguarum putant, ſi uoces teneant exoticas, puta Græcæ aut Ebraicæ linguæ, quas interpretari, aut ſcribendo & loquendo uſurpare queant. De rerum notitia uel ſibi ope linguarum comparanda, uel alijs conferenda, minimum cogitant. Alij peregrinas linguas ſtudioſe diſcunt, uernaculam & hominum eorum, quibus cum uerſantur, neglectui habent, præclare ſecum agi putantes, ſi uulgus intelligant, & ab eo utcunq; intelligantur. Quum uideam Græcos, Romanos, Aſſyrios, Perſas, & gentes, quæ imperio & ſapientia & uirtute excelluerunt, patriam linguam etiam in ſcholis præcipue excoluiſſe. Tertio loco ſunt, qui linguas peregrinas non curant, uel quia deſperant ſe aliquid peritiæ conſecuturos, quod operæ impenſæ reſpondeat, uel quia faſtidiunt, ut rem inutilem. Illis omnibus ſuccurrere uolui, oſtendens maximam eſſe utilitatem in linguarum notitia, in primis ad religionis Chriſtianæ culturam: & ſuam cuiq; patriam linguam excolendã eſſe, quũ linguis etiã barbaris, ut uocãtur, non deſit ratio, ſed hominum diligentia, qui excolant. Præterea uolui oſtendere non tantam eſſe difficultatẽ in linguis perdiſcendis, quantã pleriq; putant, ſi quis negotiũ rite obeat. Hoc argumentũ placuit mihi aggredi hoc turbulentiſſimo tẽpore, quo Martis furioſa inſtrumenta propemodum

uocem muſarũ opprimunt. Vt ad eas excitãdas incũbere pro ſua uirili portione debeãt, quibus bonæ literæ & pietatis ſtudia cordi ſunt. Id quia uos pro ueſtra prudẽtia & animi propẽſione in eccleſiã dei ſacroſanctã, nõ dubito ſedulo agere, uolui etiã meum ſtudiũ declarare, qui ut ope & facultatibus parũ ualeo, ita in primis ſtudeo nullis temporibus eccleſiæ, noſtræ cõmunis reipub. noſtræ ciuitatis, noſtræ domus, deeſſe. Porrò ſi quid ſtudio intempeſtiuo peccaui, facile patiar admonitionem, imò gratiſſimus ero monitoribus. Nam quod interdum, ſecutus rationem & minime leues authores, diſceſſi à receptis opinionibus, & doctrinis magnorum uirorum, nemo reprehẽdet, qui cogitabit, libertatem, quæ longe abeſt à petulantia & temeritate, in primis conuenire literarum tractationi & religionis. Quam uiri ſapientes æquiſſimo ferunt animo, etiam quando contra ipſos pronunciatur. Nec mihi uidetur Octauius Cæſar Auguſtus ulla in re admirabilior & maior, quàm quod poſt tot uictorias, poſt tot præclara opera, poſt tot beneficia collata in urbem Romam, quam ex lateritia fecerat marmoream, libertatem ex animo loquentium de repub. tulit, & ita tulit, ut ea ſummopere delectatus eſſe uideatur. Nã in ſenatu uerba facienti aliquando dictum eſt, non intellexi. Ab alio, contradicerem tibi, ſi locum haberem. Interdum ob immodicas altercationes diſcrepantium è curia per iram ſe proripienti quidam ingeſſerunt: licere oportere ſenatoribus de repub. loqui. Interrogatuſq́; ab eo Antiſtius Labeo, quia ſenatus lectione legerat triumuirũ M. Lepidũ hoſtem olim Antiſtij & tũc exulantẽ, an eſſent alij digniores, ſuum quenq; iudiciũ habere reſpondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquã fuit, ut ſcribit Suetonius. Mihi quidem contumacia & petulantia non probantur: ſed puto licere debere literarũ & doctrinæ Chriſtianæ tractatoribus libere de literis & religione loqui & ſcribere. Religionis autem explicationem adiunctam eſſe rationi linguarum & literarum, nemo indignabitur aut uituperabit, qui diſpoſitionem operis totam æſtimauerit: quæ omnino hanc tractationem poſtulauit: ſiquidẽ religioni docendæ & propagandæ præcipue inſeruire debet linguarum notitia. Quod dogma non eſt à me excogitatum, ſed hauſtum ex libris erudi tiſſimorum hominum, & in primis ex auguſto ſanctiſſimoq́; fonte ſacrarum ſcripturarum. Quæ decreta hoc loco recitare, ut opinor, non alienũ erit ab argumento ſuſcepto. Extant quidem grauiſſima decreta ordinum imperij de linguis diſcendis. Verum quia prophanis duntaxat negotijs eam cognitionem accommodant, hic conſulto prætermittam. Auguſtinum igitur eccleſiæ columen audiamus, qui ſecundo libro de Chriſtiana doctrina ſic ſcribit:

Verba prorſus inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi, quæcunq; animo concipiuntur, ſi ea prodere quiſq; uelit. Et mox: Sed quia uerberato aëre ſtatim tranſeunt, nec diutius manent, quàm ſonant, inſtituta ſunt per literas ſigna uerborum. Ita uoces oculis oſtenduntur, non per ſeipſas, ſed per ſigna quædam ſua. Iſta igitur ſigna non potuerunt communia eſſe omnibus gentibus peccato quodã diſſenſionis humanæ, cum ad ſe quiſq; principatum rapit. Cuius ſuperbiæ ſignum eſt erecta illa turris in cœlum:

lum:ubi homines impij non ſolum animos,ſed etiam uoces diſſonas habere meruerunt. Ex quo factum eſt, ut etiam ſcriptura diuina, quæ tantis morbis humanarum uoluntatum ſubuenitur,ab una lingua profecta,quæ opportune potuit per orbem terrarū diſſeminari, per uarias interpretum linguas longe lateq; diffuſa innoteſceret gentibus ad ſalutem. Quam legentes nihil aliud appetunt, quàm cogitationes uoluntatemq; illorum,à quibus conſcripta eſt, inuenire, & per illas uoluntatem dei,ſecundum quam tales homines locutos eſſe credimus. Et inferius: Contra ignota ſigna propria magnum remedium eſt linguarum cognitio. Ac poſtquam recenſuit uſum Latinæ,Græcæ & Ebraicæ linguæ ſubijcit: Qui ſcripturas ex Hebræa lingua in Græcam uerterunt linguam,numerari poſſunt,Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuiq; primis fidei temporibus in manus uenit codex Græcus, & aliquantulū facultatis ſibimet utriuſq; linguæ habere uidebatur,auſus eſt interpretari. Quæ quidem res plus adiuuit intelligentiam,quàm impedinit:ſi modo legentes non ſint negligentes. Nam nōnullas obſcuriores ſententias plurium codicum ſæpe manifeſtauit inſpectio.

Si qui autem magis mouentur conciliorum authoritate,recognoſcant decretum concilij Viennēſis,cui præfuit Clemens quintus. Quod ſic habet: Inter ſolicitudines noſtris humeris incumbentes perpeti cura reuoluimus, ut errantes in uiam ueritatis inducere, ipſoq; lucrifacere deo,ſua nobis cooperante gratia,ualeamus. Hoc eſt quod profecto deſideranter exquirimus: ad id noſtræ mentis ſedulo deſtinamus affectum,ac circa illud diligenti ſtudio,uel ſtudioſa diligentia uigilamus. Non ambigimus autem, quin ad huiuſmodi noſtrum deſiderium aſſequendum,diuinorum eloquiorum ſit expoſitio congrua,ipſorumq; fidelis prædicatio admodum opportuna. Sed nec ignoramus,quin & hæc promi noſcantur inaniter,uacuaq; redire, ſi auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideoq; illius,cuius uicem in terris,licet immeriti,gerimus, imitantes exemplum,qui ituros per uniuerſum mundum ad euangelizādum apoſtolos, in omni linguarum genere fore uoluit eruditos:uiris catholicis notitiam linguarum habentibus,quibus utuntur infideles præcipue,abundare ſanctam affectamus eccleſiam,qui infideles ipſos ſciant,& ualeant ſacris inſtitutis inſtruere,Chriſticolarumq; collegio per doctrinam Chriſtianæ fidei ac ſuſceptionem ſacri baptiſmatis aggregare. Vt igitur peritia linguarum huiuſmodi poßit habiliter per inſtructionis efficaciā obtineri,hoc ſacro approbante concilio ſcholas in ſubſcriptarum linguarum generibus,ubicunq; Romanam curiam reſidere contingет,nec non in Pariſienſi,& Oxonienſi,Bononienſi, & Salamantino ſtudijs prouidimus erigendas,ſtatuentes,ut in quolibet locorum ipſorum teneantur uiri catholici ſufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum notitiam, duo uidelicet uniuſcuiuſq; linguæ periti,qui ſcholas regant inibi,& libros de linguis ipſis in Latinum fideliter transferentes,alios linguas ipſas ſolicite doceāt,earumq; peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant. Vt inſtructi & edocti ſufficienter in linguis huiuſmodi, fructum ſperatum poßint deo authore producere,fidem propagaturi ſalubriter in ipſos

populos infideles. Quibus equidem in Romana curia legentibus per ſedem apoſtolicam, in ſtudijs uero, Pariſienſi per regem Franciæ, in Oxonienſi Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Vualliæ, in Bononienſi per Italiæ, in Salamantino per Hiſpaniæ prælatos, monaſteria, capitula, conuentus, collegia exempta & non exempta, & eccleſiarum rectores in ſtipendijs competentibus & ſumptibus uolumus prouideri contributionis onere ſingulis iuxta facultatum exigentiam imponendo, priuilegijs & exemptionibus quibuſcunq; contrarijs nequaquam obſtantibus. Quibus tamen nolumus, quo ad alia, præiudicium generari. Hæc decreuit papa Clemens & conciliũ Viennenſe. Verum ut decretum pulcherrimum & utiliſſimum euanuit apud eos maxime, qui nihil propemodũ, quàm concilia & patres, & antiquitatem & eccleſiam crepant?

Omitto prudens, quæ Eraſmus Roterodamus in eccleſiaſte ſcribit de cognitione linguarum, non tantum Ebraicæ, Græcæ, & Latinæ, ſed etiam barbararum. Omitto, quæ alij uiri doctrina, iudicio, uitæ integritate, religioneq; inſignes pronũciarũt. Vnus enim Paulus doctor gentium diuina authoritate linguarum ſtudia eccleſiæ omnibusq; membris & filijs eccleſiæ ſacroſanctæ abunde commendat. Cuius uerba reddam ab Eraſmo Latine facta ex epiſtola priori ad Corinthios cap. 12. & 14.

Sectemini charitatem, æmulemini ſpiritualia, magis tamen ut prophetetis. Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed deo. Nullus enim audit. Spiritu uero loquitur myſteria. Cæterum qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat: at qui prophetat, eccleſiam ædificat. Volo autẽ uos loqui linguis, magis autem ut prophetetis. Maior enim, qui prophetat, quàm qui loquitur lingua, niſi interpretetur, ut eccleſia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, ſi ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, niſi uobis loquar, aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Et iterum: Gratias ago deo meo, quòd magis quàm omnes uos linguis loquor. Sed in eccleſia uolo quinq; uerba per mentem meam loqui, ut alios inſtituam potius, quàm decem millia uerborum in lingua. Fratres, ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis, ſenſibus uero perfecti ſitis. In lege ſcriptum eſt: In uarijs linguis & in labijs uarijs loquar populo huic, & ne ſic quidem audient me, dicit dominus. Itaq; linguæ in ſignum ſunt non credentibus, ſed incredulis: contrà prophetia non incredulis, ſed credẽtibus. Atq; in fine capitis decimi quarti: Si quis uidetur propheta eſſe, aut ſpiritualis, agnoſcat quæ ſcribo uobis, quod domini ſint præcepta. Cæterum, ſi quis ignorat, ignoret. Proinde fratres ad id enitamini, ut prophetetis: & loqui linguis ne prohibeatis. Omnia decenter & cum ordine fiant. Et 12. cap. Vos eſtis corpus Chriſti & membra ex parte. Et alios quidem poſuit deus in eccleſia primum quidem apoſtolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde poteſtates, deinde dona ſanationum, ſubſidia, gubernationes, genera linguarum. Num omnes apoſtoli? Num omnes prophetæ? Num omnes doctores? Num omnes poteſtates? Num omnes dona habent ſanationum? Num omnes linguis loquuntur? Num omnes in-

terpretantur?

terpretantur? Sectemini uero dona potiora. Et rurſum: Diuiſiones donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt deus operans omnia in omnibus. Vnicuiq; uero datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij uero ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij uero fides in eodem ſpiritu, alij uero efficaciæ potentiarum, alij uero prophetiæ, alij diſcretiones ſpirituum, alij uero genera linguarũ, alij uero interpretatio linguarum. Sed omnia hæc operatur unus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter unicuiq;, ſicuti uult. Quemadmodum enim corpus unũ eſt, & membra habet multa, omnia uero membra corporis unius multa cum ſint, unum ſunt corpus: ſic & Chriſtus. Etenim in uno ſpiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci: ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes in unum ſpiritum poti ſumus. Etenim corpus non eſt unum membrum, ſed multa.

Quæ poſſet maior eſſe approbatio ſtudij linguarum, quàm hæc Paulina, quæ uox eccleſiæ catholicæ eſt, adeoq; Chriſti ſeruatoris loquentis & agentis omnia, in organo ſuo delectiſſimo? Quum igitur linguarum cognitio demonſtretur non modo eccleſiæ ornamento eſſe, ſed etiam utilis in primis & neceſſaria, quæ inter præſtantiſſimas res enumeratur & dona ſpiritus diuini, ſpero uobis meam uoluntatem & ſtudium probatum iri, quod edidi librum hunc, amicis linguarum & alioquin multifariam peritis hortantibus, quem ad linguarum cognitionem & uſum exiſtimaui aliquid allaturum eſſe opis. Valete. Tiguri, pridie nonas Martias. M. D. XLVIII.

CAPITA HVIVS COMMENTARII.

Argumentum libri folio 1.
An ratio communis omnium linguarum & literarum ſit 3
Linguarum enumeratio, Ebraic. &c. 4
Quod poßit hæc ratio comprehendi 24
Quod ſit utilis 26
Origo linguarum, & quod Ebraica ſit princeps 36
Origo literarum 38
Mutatio linguarum 46
Mutationis linguarum cauſæ 51
Mutatio ſcripturæ 61
Notæ & arcana ſcriptura 72
Chalcographia 80
Operis diſpoſitio quo lingua comprehendatur abſolute 84
Qua methodo 102
Methodus quid 85
Dialectus, ſermo, oratio 105
Sermonis finis 107
Regulæ generales linguarum omnium & principes 119
Natura 122
Ars 123
Authoritas, imitatio 124
Antiquitas 125
Conſuetudo, Latinitas, peregrinitas 125
Analogia, etymologia, anomalia 127
Conuenientia rerum & uocum 130
Vtilitas 131
Voluptas, euphonia, cacophonon, cacoſyntheton 131
Orationis partes 132
Orationis & linguarum genera 142
De lingua & ore 143
De ſtylo, penna, typis ſtanneis 144
De uoce 146
De literis & grammat. 148
Orthographia 149
Litera quid, quæ differentiæ 150
Syllaba 153
Orthoepeia 155
Vitia oris & linguæ 155
Barbariſmus, metaplaſmus 156
Vt uoces migrent in alias linguas 160
Originatio 158
Declinationum formulæ 163 165
Coniugationum formæ 166
Heteroſis, ſolœciſmus 167
Ordines rerum 126. 184
De ſtructura orationis 187
Quod eloquentia & ſapientia cohæreant 189
De ſapientia & philoſophia 190
Quæ conueniant inter omnes populos, & qui ſtatus controuerſiæ religionis 204
Expoſitio fidei catholicæ 208

DE RATIONE COM MVNI OMNIVM LINGVARVM ET LITE rarum Commentarius Theodori Bibliandri.

PROPOSVI, Lectores humaniſſimi, hoc commentario, quantũ ingenio & diligentia poſſum aſſequi, & quatenus hoc tempore uacat, ſcribere methodum & rationem, qua non modo literatæ illæ & à præclaris ingenijs excultę linguę, uerumetiam rudes & barbaræ linguæ omnium nationum comprehendi poſſint totæ & apto quidem ordine, nec non rectius explicari, & percipi facilius, & accommodari melius ad omnem uſum ſcribendi & dicendi: qua deniq; ratione linguæ omnes perſpici & iudicari exactius queant, & conferri mutuum uel totę, uel in qualibet parte. Aggredior autem oſtendere methodum certam & facilem, & deriuatam ex naturæ fontibus, qua artes logicæ grãmatica, dialectica, rhetorica, quibus tota uis & uſus tum rationis tum orationis explicantur, in unum ueluti corpus artis coniunctæ quibuſuis linguis tractandis & uerſandis accommodari poſſint.

Vbi facile prouideo, non paucos fore, qui ſtatim offendentur iſta nouitate inſcriptionis & inſolentia quadam tituli. Ac iudicabunt me rem tentare aut certè polliceri negatam nõ dico ingenij mei uiribus, quas ipſe quoq; non ignoro & fateor ingenue eſſe perexiguas, ſed negatam uni omnino homini, quantumuis excellenti doctrina & ingenio, & induſtria. Cecrops enim, qui ætate Moſis intulit Græciæ ſacrorũ ritus & ceremonias nonnullas, maximè bouem mactandi, quum Aegyptiam pariter & Græcam linguam calleret, propterea διφυὴς cognominatus eſt, quaſi ex natura gemina compoſitus. Ennium quoq; poetam, qui tenuit linguam Latinam, Oſcam, & Græcam uetuſtas ita eſt admirata, ut conceſſerit ei tria corda. Mithridatis uero memoria inter prodigia numeratur. Qui quum eſſet rex duarum & uiginti gentium, totidẽ linguis iura dixit, & ſingulas pro concione ſine interprete affatus eſt. Ac hodie quidem in tanta luce bonarum artiũ, & ſtudio linguarũ minime ſegni, rari ſunt, qui nouerint ſex aut ſeptem linguas. Quæ autem illa uis erit ingenij humani, ut unus animo

2 comprehendat linguas omnes cum literis uniuerſarum gentium & populorũ,quæ LXXVII.uulgo numerari ſolent:Nam quod Iudæi arrogãt cognitionem ſeptuaginta linguarum ſuis delectis & ordinarijs iudicibus,quos ſanhedrin uocãt, non immerito poteſt fabuloſum uideri, & paruum inſtituto noſtro patrociniũ adferre.In diſcipulis uero domini Ieſu Chriſti facultas fuit ſuperãs captum & naturam humanã, quod rudes homines, & unius linguæ Syriacæ hactenus gnari,repente nouis linguis prędicant res domini dei magnificas. Repleti enim ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui uarijs linguis,prout ſpiritus ſanctus dabat illis eloqui.Fuit ergo non artis aut induſtriæ & exercitationis,aut naturalis facultatis, ſed effectus ſpiritus ſancti, ut hiſtoria diuina in actis apoſtolorum teſtatur, quod diſcipuli uarijs loquuntur linguis,ut Iudæi,Arabes, Aegyptij,Libyes,Cretẽſes,Romani,Aſiani,Phryges,Pamphylij,Cappadoces,incolę Ponti,Meſopotamij, Elamitę,Medi,Parthi audirẽt eos loquentes, quiſq; in ea lingua, in qua natus fuit. Proinde non ſine cauſa uidebitur quibuſdã uel temeraria & impudẽs pollicitatio uel iactatio potius, uel conatus irritus,ac tantum non parum ſanæ mentis agitatio, ut quiſquam edat libros inſcriptos de communi ratione omnium linguarum & literarum. Præſertim quum in ſingulis dialectis tot & tam diſcrepantes uoces ſint,& ſingularum uocum multiplex tranſmutatio, & ex iunctis dictionibus plurimæ formulæ dicẽdi peculiares ſingulis linguis. Vt taceam interim linguas & idiomata prope in ſecula mutari, ut populi ueterẽ loquendi cõſuetudinem deſerant, & nouam recipiant,idq; multis de cauſis.

Equidem ut de uberiori aliqua perfuſione diuini ſpiritus gloriari non poſſum nec debeo, ita beneficia Chriſti ſeruatoris minime uel modeſtũ uel religioſum eſt diſſimulare. Fateorq; me non tam labore & diligentia & ingenij quodam acumine ſingulari,quàm ex merito & gratia,& dono principis noſtri opt.max.Ieſu Chriſti conſecutũ eſſe facultatem aliquam ſcribendi & loquendi,aut certe iudicandi de ijs linguis, quæ totum orbem terrarũ longe lateq; poſſident.Et ea de re cum diuino Paulo gratias ago patri cœleſti, & domino Ieſu Chriſto,ut de excellenti munere cœleſtis munificentiæ,ſtudeoq; illud,quantulumcunq; eſt,effundere in uſum eccleſiæ,quæ eſt domus dei, & columna & ſedimentum ueritatis, in uſus omnium hominum, ſi fieri poſſit,in primis uero ad propa

gandum

gandum notitiam ſalutarem & gloriam dei patris, dei filij, dei ſpiritus ſancti, cui ſoli debetur omnis laus & gloria. Quamobrem inueſtigemus, ſi placet lectores, breui & ſimplici ratiocinatione, an ſit omnino ratio apta & conueniens omnibus linguis & literis: deinde obiter, an poſſit à nobis deprehendi & percipi: poſtremo ſi deprehēſa & probe informata fuerit, quam utilitatem adferat: ac quę nam illa ſit.

An ſit ratio communis omnium linguarum & literarum.

RAphael Volaterranus libro 33. urbanorū cōmentariorum de literis differēs, enumerat ſeptem idiomata principalia, & totidem genera literarum. Sunt enim hæc uerba ipſius: Igitur catalecti ſeptem totidemq; literarum genera reperiuntur. Aſſyrij ſiue Babylonij antiquiores. Deinde Arabes. Iudæi non ualde ab Arabibus characteræ literarum linguaq; diſtantes. Aegyptij uero & Aethiopes, quamuis antiquiſſimi, alteri tamen figuris animalium aliarumq; rerum uerius quàm literis, quas hieroglypha uocant, nulli adhuc comperta. Aethiopes uero Babylonijs literis ſunt uſi uſq; in hodiernum diem. Poſt hos Græci, deinde Latini. Poſtremo Dalmatæ ex corruptis Gręcis. Addit præterea Volaterranus: Vidi etiam Armenica libros lingua cōſcriptos, qui tamen cum Chaldæis ferè conueniunt in paruo diſcreti. Saraceni item hodie, Tartari ac Turcę, quamuis diuerſo inter ſe paululum catalecto, Arabicis tamen omnes utuntur literis. Turcæ etiā Græcis, quibus dominantur. Hæc ille.

Quod ſi proferatur ars atq; doctrina tum recte & emendate ſcribendi & loquendi, tum inter uera & falſa diſcernendi, tum ornate & ſplendide differendi de quouis argumento propoſito: quę omnibus iſtis ſeptē principalibus dialectis, aut pleriſq; congruat, nec poſſit ulla in lingua conuenientior ars atq; præceptio produci, equidem cenſuerim enumeratis partibus præcipuis confici, ut intelligatur, eam eſſe methodum tradendi & diſcendi linguas & literas quaſuis, ita communem & aptam uniuerſis, ut in ſingulis melior inſtitui nequeat. Exiſtimo autem me diuturna & multa inueſtigatione aſſecutum, ut hiſce libris eam methodum patefacere poſſim hominibus diſcendi aut iudicandi cupidis. Quod per linguas nunc ſingulas indicare compendio, uidetur operæpretium.

Ebræorum linguam principem & parentem eſſe, propè conſi tentur omnes eruditi, & ſuo loco teſtimonijs atque rationibus comprobabitur. Eam quum Latini & Græci delicatiores, & uenuſtæ orationis quàm ſapientiæ ſtudioſiores, ut maxime barbaram uituperent, eſt tamen certis legibus à Iudæis ſimul & noſtris hominibus comprehenſa: ut dubium non ſit, quin aliqua methodo tradi & cognoſci queat. Sumito autem ex tot grammaticis Ebraicis artem cuiuſcunque Iudæi, puta Dauidis aut Moſis Kimhij, Abrahami, Iudæ, Eliæ, aut Chriſtiani alicuius, puta Reuchlini, Capitonis, Munſteri, Sanctis, uel alterius cuiuſpiam. Et licebit eodem ordine uel Græcam linguam, uel Latinam, uel Germanicam, uel aliam quancunque linguam comprehendere & conferre cum Ebræa in literis, in ſyllabis, in uerborum ſignificatione, origine, inflectione, compoſitione, ſtructura. Itaque linguæ iſtæ uniuerſæ quæ componentur ad hunc modum cum Ebræa, ſub eandem rationem & doctrinam communem redactæ ſunt. Illa uero erit optima doctrina & ars, quæ cum ratione & natura maxime quadrabit.

Ebraica lingua.

De Chaldaica & Aſſyriaca ita ſcribit Guilielmus Poſtellus, nō ſine honore mihi nominandus, quippe qui nobis Arabicæ linguę præceptiones tradiderit. Hac utuntur hodie in grammaticis & ſacris quàm plurimi Chriſtiani in tota Syria, præcipue circa montem Libanum ad IIII. M. hominum: Chriſtiani de Zona, habētes uetus & nouum teſtamentum eo ſermone ſcripta. Et paulò poſt, Grāmatica, inquit, nihil differt ab ea, quam Munſterus tradidit. Hactenus Poſtellus. Literarū idem numerus & ordo & poteſtas eſt cum Ebraicis: formæ nonnihil abludunt, ut Arabicæ, propiores tamen Ebraicis quàm Arabicæ. Quod ergo de lingua & literis Ebraicis dictum eſt, dici poteſt etiam de Chaldaicis. Vna igitur illis methodus congruet.

Chaldaica lingua.

Arabicam ſeu Punicam linguam propaginem eſſe Ebraici ſermonis arguūt literæ, & dictiones, & analogia inflectionis. Diuus Hieronymus quoque id teſtatur, uelut in commētarijs Eſaiæ diſſerens de uoce alma, quæ uirginem integerrimam ſignificat. Abraham Eſra multis idem oſtendit in cōmentarijs Cant. 8. Eam iam olim præceptis comprehenderunt Arabes. Et nuper Guiliel. Poſtellus magno bono eccleſiæ, uti ſpero, grammaticam edidit, uir dignus longiore uita, ut linguæ Arabicæ abſolutam explicationem

Arabica lingua.

aliquando

aliquãdo nobis exhibeat. Cuius uerba hîc minime prætermittenda eſſe cenſeo. Nulla inquit lingua hodie, nec uſquam olim in tot partibus orbis locum habuit. Et iterum, Arabica lingua, quæ & Punica, omnibus religionis Muhamedicæ cultoribus grammatica eſt. Quæ latius patet hodie, quàm ulla unquam lingua, ut uix tertia pars habitati orbis eam non agnoſcat. Habet enim Africam totam, præter Nubianam regionem, quæ à Præſtano tenetur (ita uocat pretioſum uel altum Chan, quem presbyterum Iohannem uulgo nominant.) Habet Aſiam totam à noſtris littoribus per antipodes uſq; ad partem occiduam noſtri hemiſphærij. Etiam inſulas Moluccarũ, quas ultra Americam reperit Magellanus ad Taſchaltical & Curiſtical ac Temiſtitan: quamuis præcipua pars idololatræ ſunt, præter Indos quoſdam & Narſinganos. In Europa tenet Græciam, Macedoniã, Thraciam, Daciam, Iazyges ſeu partem Hungariæ, Seruiam & Boſnam, quæ pars eſt Pannoniæ ſuperioris. Eius beneficio ualebimus ſine interprete cõuerſari cum Mauro, Aegyptio, Syro, Perſa, Turcho, Tartaro, Indo: & ut ſemel dicam, ferè in toto terrarum orbe. Hebraicæ linguæ adeo affinis eſt, ut ſi quis diligenter uerſatus ſit in Hebraiſmo, poſſit ante biennium bonã partem illius linguæ intelligere. Hactenus Poſtellus. Apparet ergo linguam Arabicã per omnes partes conferri poſſe cum Ebræa & expendi, quid habeant inter ſe commune, quid diuerſum, ſibiq; peculiare. Quod non niſi cõmuni doctrina & methodo perfici poteſt.

De Aethiopibus Volaterranus pronunciat, quod Babylonio- rum literis utantur uſq; in hodiernũ diem. Id quod accepit ab imperitis aut uulgari perſuaſione, quæ tradit Aethiopes linguam & literas & religionem, & originem adeo ſuam accepiſſe à Chaldęo Abraham. Quum tamen conſtet Aethiopas originem ducere à Chus filio Cham, & non ab aliquo filiorum Sem. Etſi uero literarum formæ & ordo ſcribendi à leua dextrorſum diſcrepet à lingua Ebraica, tamen literarum poteſtas, origines dictionum, & inflectendi formulæ proxime accedunt. De quo libet uerba Poſtelli ponere: Ioannes Potken, qui conductis Nubianis Pſalterium & Cãtica Canticorum nobis tradidit, falſò aſſeruit cum uulgaribus eſſe Chaldaicã. Non tamen minus antiqua eſt quàm Chaldaica. Qua Cham Chaldaiſmi & Hebraiſmi traduces in Aethiopia trãs plantauit, qui durant in hunc uſq; diem apud Chriſtianos Nubia

Aethiopica lingua.

6 nos. Et mox: Color Indus & Aethiopibus & Indis Aſiaticis communis eſt. Vox omnium linguarum Orientaliũ uocantium aliorum Hindi, aliorum Hundi, quorundam Hundiſtan, Indos dici aſſerit. Quamuis hæc, ut aſſerũt eorum presbyteri, ſit etiam Chriſtianis orientalibus communis, & maiori parti Indorum etiã διαβολοσεβῶν, hoc eſt, diabolum colentium. Eſt adeo Hebraicæ, Chaldaicæ & Arabicæ affinis, ut rara ſit admodum dictio, quæ non reperiatur in aliarũ aliqua. Quamuis autem ſæpiſſime punctis differant, tamen uerborũ themata ſeu radices frequentiſſime ſunt aut Hebræis ob originem, aut Chaldæis ob affinitatem, aut Arabibus ob uiciniam & conuictum aſſimiles. Et iterum: Falſum eſt quòd Potken ait carere regulis grammaticis. Hæc Poſtellus. Cernitur ergo, ut opinor, Aethiopicam uel Indianam quoq; linguam & literaturam ratione conſtare, & illa quidem, qua Ebr. Chald. & Arabica, & aliæ linguæ comprehendi poſſunt. Porrò quod presbyteri Indiani aſſerunt de lingua iſta Aethiopica ſiue Abyſiana, q̃d uulgaris ſit apud Indos etiam colentes dæmones, quos Zemes & Zebos ipſi uocant, idem uiſus mihi ſum animaduertere in hiſtorijs de rebus Indicis & nauigationibus Hiſpanorũ. Nam quæ Petrus martyr ſcribit de formis literarum, quibus utuntur in nouis inſulis & orbe continenti, quem Americus primus reperit, quæq; indicat de aſpiratione & articulo gua, multa etiam uocabula, quæ paſſim colligere hactenus potui, & orationes, planè congruunt. Obſeruaui autem uoces non ſolum Punicas admixtas, quas Poſtellus admonet plurimas eſſe in ea dialecto, ſed etiam Latinas, ut homo, hape, ibbo, hoc eſt homo, habe uel cape, ito: & Gręcas, ut Chulcas, quod ſonat ὁλκάδα, hoc eſt, nauem onerariã. Quę nimirum peregre allatæ ſunt.

Porrò quod Volaterranus negat hieroglypha nulli adhuc cõperta, pugnat meo iudicio cum libris editis, in quibus authores non aſpernandi commemorant, quales fuerunt ſacræ literæ Aegyptiorum, & quis earum uſus. Porrò Diodorus in quarto libro de fabuloſis geſtis teſtatur Aegyptios accepiſſe literarum formas ab Aethiopibus, nimirum eas, quibus uulgo ſunt uſi. Quę lingua quum ſit penitus deleta in Aegypto primum per Græcos, deinde per Romanos, poſtea per Saracenos & Arabes, & pauca ſuperſint uocabula in monimẽtis literarum, non poteſt facile iudicari, aut aliquid pro comperto pronunciari de lingua Aegyptiorum.

Tamen

Tamen ex ijs quæ ad noſtram peruenerunt notitiam, ex origine gentis Mizraim, quę communis fuit cum Aethiopibus & Nimrodicis in Babylone, ex uicinia Idumæorum & Iſraëlitarum, ex iſtorum populorũ commercio colligi poteſt nõ minus affinem fuiſſe dialecto Ebraicæ, ꝙ Aeth. aut Chald. aut Phœnicum linguam. Fuerit autẽ tam remota quàm Latina aut Scythica, potuit tamen per ſingulas partes cum Ebr. comparari, & propterea quadrauit ad eandem normam artis & ſcientiæ.

De Græcis & Latinis in tanta copia bonorum authorũ ſimul & malorum ſcriptorũ ignorari non poteſt, quæ nam ſint linguæ, & ꝙ arte comprehendi poſſint eadem. Si quidẽ extant tot grammatici, tot dialectici, tot rhetores in utraꝗ lingua, quorum leges & præcepta utriſꝗ pariter congruunt: & cum lingua Ebræa iſtæ linguæ à plurimis conferri ſolent. Quod fieri non poſſet, niſi ad unam & eandem regulam artis congruerent. Itaꝗ nihil de illis linguis hoc loco dicendum uidetur, ꝙ ut paucis admoneam originis & gentium earum & linguæ atꝗ literarum, & quàm latè olim patuerunt, hodieꝗ pateant. Lingua Græca.

Certum quidem facit hiſtoria diuina Geneſeos 11. cap. filios Iaphet fuiſſe Gomer, Magog, Madai, Iauan, Tubal, Moſoch, Thyras. Nepotes uero ex Gomer, Aſcenez, Riphath, Thogorma: ex Iauen autem Eliſa, Tharſis, Cethim, & Dodanim. A quibus ſunt diuiſæ inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſꝗ ſecundum linguam ſuam & familias in nationibus ſuis. Quos fuſius enumerat Epiphanius in expoſitione fidei catholicæ, quam inſcripſit orationem anchora firmatam, & Procopius in commentarijs libri geneſeos. Quid mihi uideatur in re tam uetuſta & controuerſa, expoſui in commentario de optimo genere grammaticorũ Ebr. ut hic repetere ſuperuacaneum uideatur. Cæterum ſermo Græcus non tantum in genera quinꝗ olim diſtributus fuit, in communem dialectum, in Atticam, Aeolicam, Doricam, Ionicam. Nam Herodotus linguæ Ionicæ differentes quatuor ſermones enumerat. Habuerũt etiam Rhodij, Cyprij, Cretenſes, Chalcidenſes aliquid peculiare. Omnes tamen illæ dialecti ad unam normam & amuſſim exigi poſſunt & debent. Idemꝗ ſentio de omnibus idiomatis gentiũ, ad quas ſermo Græcus propagatus olim fuit. Non enim in Hellade ſola celebratus fuit, ſed etiam in Epiro, Peloponneſo, Illyrico, Macedonia, Thracia, in Aſia minore, in Syria, in

 qua fuerunt eloquentiſſimi uiri lingua Græca, Philo, Ioſephus, & alij ꝗ plurimi. Præcipue quidem in Cilicia in oppido Tharſo, patria diui Pauli, Græcæ literæ floruerũt. Itemq́ Alexandriæ in Aegypto. Et rurſum in Europa ſermo Grȩcus non modo in ea parte Italiæ, quæ magna Græcia dicitur, uulgaris fuit, ſed etiam in Gallia. Nam Maſſiliæ ſtudia Græca & literæ maximè floruerunt. Et Gallorum ſacerdotes nomine Græco dicti ſunt Druidæ, quaſi dicas Quercuarios, utentes Græco ſermone præcipue in re diuina. Quod à bonis authoribus traditum accepimus. Heluetios quoq; olim uſos fuiſſe literis Græcis, uel commentarij Cæſaris teſtantur. Eſtq́ ueriſimile ſermonem eorum, qui Britanniæ inſulæ partem tenent, quæ Vuallia & Cornubia uocatur, quorũ ſermo ualde congruit cum Græco, uti ab eruditis hominibus & fide dignis accepi, ex Gallia transfretaſſe. Quemadmodum noſtro æuo animaduertimus Angloſaxonũ linguam ſermone Gallico ualde interpolatam eſſe. Porrò ꝗ late pateat hodie ſermo Græcus Poſtellus hiſce uerbis indicat: Græcos accepiſſe literas Chaldæi cuiuſdam opera, ſi negarent, poſſet probari uocabulis literarum. Et poſtea: Sunt hodie in uſu ſacrorũ & uulgaris idiomatis Græcis ſub imperio Turchorum habitantibus in Peloponneſo, Græcia, Macedonia, Thracia, inſulis maris mediterranei, potiſſimum quæ ad mare Aegeum pertinent, & uocantur patrio ſermone Rhomæi. Horum coloniæ multæ ſunt traductæ in tota Natolia, præcipue in maritimis locis, & uerſus Armeniam minorem, quam ea ratione Turchi appellãt Rhom, id eſt, Græciam. Idem Poſtellus ait linguam Græcam uulgarem multũ affinem eſſe grammaticæ ſuæ. Id quod ſciſcitãdo comperi ex illis, qui uerſati ſunt inter Græcos.

Sermonis Græci diſcipulus eſt Latinus, teſte Fabio Quintiliano. De quo priuſquam dico, Aſiæ idiomata percurram. Ait enim Volaterranus ſe libros uidiſſe Armenica lingua ſcriptos, qui cum Chaldæo fermè conueniũt in paruo diſcreti. De qua lingua Haytho Armenius natione & regij generis, qui circa M. C C C. à natali Chriſti annum floruit, ut ex ſcriptis eius patet, ad hunc modum ſcribit.

Armenica lingua. Armeni literas habent Armenicas, & alias, quæ dicuntur Haloen. Et quia patriarchæ Armeniorum, quem catholicum appellant, coniũcti ſunt epiſcopi mille, omnes nominis Chriſtiani, utq́ appareat euidentius, quàm late pateat uſus linguæ Armenicȩ, ap

ponam

ponam huc uerba eiuſdē Haytoni. In terra inquit Armeniæ ſunt quatuor regna, tamen unus ſolus rex dominium ſemper occupauit. Longitudo terræ Armeniæ incipit à regno Perſarū, & extenditur per occidentem uſq; ad regnum Turquiæ. Latitudo terræ Armeniæ incipit à Mirali ciuitate, quę dicitur porta ferri, quæ tangit magnum montem Cocas. Ita uocat Haytonus Caucaſum. Latitudo Armeniæ extenditur uſq; ad regnum Mediæ. Hactenus recenſui uerba Haytoni. Porrò linguam ueterem Armeniorum fuiſſe cognatam Chaldaicæ & Syriacæ, patet ex origine gentis, quæ deſcendit ex Aram filio Sem: ex proprijs nominibus hominum & locorum, & ex alijs argumentis. De illa, quæ temporibus Haytoni fuit in uſu Armeniorū, hodieq; durat, ita ſcribit Poſtellus linguæ illius nō ignarus. Inter omnes linguas Armenica prolatione difficillima eſt. Habent quædam cum orientalibus, quædam cum Gręcis & Gallis etiam communia. Eſt in uſu ſacrorum Armenis non tantū in utraq; Armenia, ut uulgo putant, ſed ubicunq; Muhamedes auditur, ut in tota Aſia minori, Syria, Tartaria, Perſia, circa mare Ponticum, quod nigrum uocant hodie, pręcipue ad Tauricam Cherſoneſum, ubi uerſantur in ſummo Turchorum Muhamedanorumq; omnium priuilegio. Lingua uulgaris omnino Turcica eſt: ut uideantur hi ab illis, aut quod ueriſimilius eſt, iſti ab illis aut illorum finibus oriundi.

Turcorum linguam & Tartarorum eandem eſſe, teſtatur Mathias à Michou Polonus, & rerum Tartaricarum minime imperitus. Sic enim ſcribit in primo libro de Sarmatia. Quod Turci pro pago & ſoboles ſit Tartarorum, identitas morum, loquelę, & pugnandi demonſtrat. Nam habitum modumq; equitandi & curtè inſidendi, ſagittis quoq; & arcubus pugnandi eundē habuerunt: & nunc ut plures habent cum Tartaris ſermonem etiam & linguam Tartarorū communem habent. Non differt loquela Tartarus & Turcus niſi modice, uelut exēplariter diceret, ſicut Italus & Hiſpanus, uel Polonus & Bohemus. Cæterum Bartholemæus Georgieuitzius, qui captus in bello à Turcis, linguam & mores gentis perdidicit, de lingua Scythica, quam Perſicam uocant, ita ſcribit: Literis & characteribus Arabicis utuntur tum Perſæ tum Turcæ. Perſarum lingua omnium linguarū mundi facilima eſt. Et illam qui nouerit, omnes regiones Perſarum & Turcarū peragrare poterit negotiando cum Perſis, Turcis, Græcis, Armenijs,

Turcica lingua & Tartarica.

& aliarum conditionum Chriſtianis habitantibus illas regiones. Vtuntur quidem illa Turcę, uerum corrupta. Quod quidem perfecte intelligi poteſt ex uſu omnium colloquiorum. Sclauinica uero lingua utuntur in aula regis eorum & in confinijs Sclauoniæ uerſantes. Idem Bartholemæus exhibuit aliquot obſeruationes grammaticas de lingua Perſica. Porrò ipſe redigens in artis formam, quæcunq; potui ex libris colligere hactenus per alias meas occupationes, animaduerti linguam Perſicam uel potius Scythicam Turcorum & Tartarorum communem, non modo in deriuando, in compoſitione, in flectione dictionum, in ſtructura, conſtãter retinere analogiam æque ac Latinam aut Græcã linguam, uerumetiã habere ſuam quandã peculiarem uim & elegantiam.

Perſica lingua.

Perſarum uero & Medorum ueterum, qui à Sem patriarcha ortum habent, linguam affinem fuiſſe Syriacæ adeoq; Ebraicæ, patet ex origine utriuſq; gentis, & ex uocabulis, quæ reliqua ſuperſunt, ut gaza, mandy, chondy, quæ Syriaco & Ebraico ſermone proferũtur, ginza, maddo, chad: & alia plurima. Nec dubitare poterit cognatas linguas eſſe ueterem Perſarum & Medorum, & Ebræam, qui edicta regum Perſicorum in libro Danielis cum ſermone Ebræo cõtulerit. Qui autem hodie Perſæ appellantur, Parthi ſunt ex Scythia ducẽtes originem. Et quia Hungari ſuam originem & linguam debent Scythis, quanquam in Europa degũt, hoc loco de ipſorum lingua paucis admonere uiſum eſt.

Hungarica lingua.

De Hungaris igitur ſiue Hunis, quorũ princeps fuit aliquando Ethele ſiue Attila, flagellum irati dei, Matthæus à Michou ita ſcribit: Iuhri de Iuhra terra Scythiæ ſeptentrionaliſſima & frigidiſſima iuxta Oceanum ſeptentrionis, à Moſcouia ciuitate Moſcorum ad orientem & ſeptentrionem quingẽtis miliaribus magnis Germanicis diſtante aſcenderunt, & uenerunt per terram planam ad meridiem in regionem Gothorũ in Scythia, ubi nunc Tartari Zahadaienſes ſeu Zauolhenſes degunt. Et poſt res Attilæ enumeratas ait: Tota Pannonia terra Sclauorum fuit. At Iuhri Sclauos incolas Pannoniæ trucidarunt, terramq; in hanc horam poſſederunt, Sclauis undiq; in finibus Pannoniæ remanentibus & inhabitantibus. Accipe primo quod Iuhri à Iuhra regione Scythiæ, de qua oriundi exiuerunt, uocati ſunt, & uſq; in noſtra tempora à Bohemis, Polonis, & Sclauis Hugri appellãtur, ab alijs autem Hugui, tandem & Hungari dicti ſunt. Accipe ſecũdo, quod

idem

Idem linguagium & loquela pronũciatioq́ acuta ſunt Iuhrorum in Hungaria, & illorum, qui in Scythia in Iuhra degunt. Verum Hungari in Pannonia Chriſticolæ ſunt, & politiores abundantioresq́ in omnibus: Iuhri autem in Scythia uſq; huc idololatrę ſunt & agreſtes. Sed reuertamur ad populos & linguas Aſiæ.

Neſtorianorum ſermo: quæ hæreſis eſt orta ex Chriſtianis.

Neſtoriani ſummum antiſtitem habent, quem ipſi Iacelichum uocant, cui magna pars orientis paret. Quòd linguam habeant propriam, non mihi compertum eſt hactenus.

Georgiani latiſſimam regionẽ & uicinam Armenis habitant ſub duobus potẽtiſſimis regibus, utriſq; tamen cenſus & nominis Chriſtiani. De lingua & literis hæc refert Poſtellus. Ex Grę ca lingua Georgianorum & Seruianorum literæ & lingua defluxerunt. Et alibi ait, Gorgiani lingua Grȩca utũtur in ſacris.

Georgianorum lingua.

Vulgaris Tartaricæ & Armenicę media eſt. Vtranq; iſtis literis ſcribunt, quas habent communes cum Iacobinis, quos odio ſingulari proſequuntur. Probabile eſt à Iacobitis repertas, qui hæreſim Iacobi patriarchæ Alexãdrini ſecuti ſunt, & olim magno in uſu fuerunt apud Orientis eccleſias. Characteres ſunt fermè Grȩci nomine & figura. Sed deprauate ſcribunt, & neſcio quot barbaros adiungunt.

Samaritana lingua.

Samaritana lingua, qua hodie quoq; utũtur permulti Iudȩi habitantes in Syria, qui Schomronim appellantur, ipſiſſima eſt Ebraica: nec differt grammatica, teſte Poſtello, qui eorum grammaticam proprijs characteribus, qui tamen Ebr. aſſimiles ſunt, ſi quis diligentius animaduertat, depictam, Arabice uero explicatam habet.

Rutenicus ſermo.

Sed reuertamur ad Europam, in qua uiget ſermo Grȩcus, de quo antea dictum eſt, & aliȩ linguæ præterea. Primumq́ de Roxolanis dicamus. De quibus Matthias à Michou hæc memorat in ſecũdo libro: In Ruſſia ſunt plures ſectæ. Eſt enim religio Chriſtiana Romano pontifici ſubiecta: & illa regit & prȩualet, quanquam ſit exigua numero. Chriſtiani hi ritu Romano Latino ſermone cantant, orant, & legunt. Eſt altera ſecta Rutenorum amplior, quȩ ritum Grȩcorum inſectatur, totam Ruſſiam adimplens. Hi habitu & eccleſiaſticis officijs Grȩcos inſequuntur, habẽtq́ proprias literas, & abecedariũ inſtar & proximum Græcis. In eccleſijs Rutenorum lingua Seruiorum eſt, quæ eſt Sclauonica, diuina celebrant, legunt & cantant. Tertia ſecta Iu

 dæorum eſt, nõ uſurariorum, ueluti ſit in terris Chriſtianorum, ſed laboratorum agricularum & mercatorum magnorum, pręſidentq; ut ſępe telonijs & exactionibus publicis. Hi lingua Hebræa orant in ſynagogis, utunturq; literis Hebręorum & diſciplinis, etiam artes liberales, aſtronomiam & medicinam perſcrutantes. Quarta ſecta Armeniorum eſt, qui ſuo ritu gaudent & literis: & in eccleſijs utuntur ſermone Armeno. De Moſcouitis qui utuntur ſermone Sclauinico, & Vualachis, qui ſemilatino, mox dicetur ſuo loco.

Lithuanorũ linguæ. In Lithuania non unus ſermo frequentatur populariter, ſed plures. Id quod cognoſcere licet ex deſcriptione Sarmatiæ Europeæ Mathiæ à Michou, cuius ſunt hęc uerba: Linguagiũ Lithuanicũ eſt quadripartitum. Primum linguagium eſt Iaczuingorum, ut horum qui circa caſtrum Drohicin inhabitarunt, & pauci ſuperſunt: Alterum eſt Lithuanorum & Samagittharum: Tertium Prutenorum: Quartum in Lothua ſeu Lothihola, hoc eſt, Liuonia circa fluuium Dzuina & Rigam ciuitatem. Et horum quanquã eadem ſit lingua, unus tamen non plenè alterum intelligit, niſi curſiuus, & qui uagatus eſt per illas terras. Habuit hoc linguagium quadripartitũ tempore idololatriæ pontificem maximũ unum, quem Criue appellabant, morantem in ciuitate Romoue, à Roma dicta. Quoniam hoc linguagium de Italia iactat ſeſe aduenisse, & habet nõnulla uocabula Italica in ſuo ſermone.

Prutenorũ ſermo. Et ſcias quod in Pruſſia iam pauci proferunt Prutenicum. Subintrauit ſiquidem lingua Polonorũ & Almannorũ. Sic & in Lithuania pauci uillani profitẽtur hanc linguam, quia ſubintrauit Almannicum. In Samagitthia autem, quæ eſt longitudinis quinquaginta miliariorum, & in Lithuania, quæ in longum triginta miliaria continet, in uillis Lithuanicum loquuntur, & in magna parte Polonicum profitentur. Nam & ſermone Polonico ſacerdotes eis prędicant in eccleſijs. Inſuper ſcito, quod hoc linguagium quadripartitum totum eſt de obedientia & fide Romanæ eccleſię. In alijs autem prouincijs circumiacentibus, ut in Nouigrod, in Pleſcouia, in Polocko, in Smolenſco, & in meridiem uſq; poſt Kiow Ruteni ſunt omnes, & Rutenicũ ſeu Sclauonicũ loquunt͂, ritumq; Gręcorũ obſeruant, & obedientiã Conſtantinopolitano patriarchæ præſtant. Amplius ſunt in ducatu

Tartari. Lithuanię Tartari circum Vilnã, qui habẽt ꝓprias uillas, & colũt agros

agros more noſtro, laborãt, & uehunt merces. Ad mandatũq; magni ducis Lithuaniæ omnes ad bellũ aſſurgunt. Loquunt Tartaricum, & colunt Mahumetem: quia Saracenorũ ſectam profitentur. Inſuper ſunt Ebræi in Lithuania, pręſertim in ciuitate Troki.

Sequitur lingua Sclauinica, de qua etiam utile fuerit meminiſſe, idq; non uno nomine. Sclauos interpretantur ſeruos & mancipia. Potius crediderim denominatam eam gentem rebus geſtis celeberrimã, à uerbo ſlowo, quod ſonat pręclaras res agere & celebrẽ eſſe. Vnde ſlawny celebris & nobilis dicitur. Quanquam non ignoro Iornandem Alanũ exiſtimare dictos à noua ciuitate. Germani ut hoſtes nimirum, Viltzos nominarunt. Gręci σλαβηνοὺς nominant: primo quidem tempore, quo innotuerũt in Europa, & armis inualuerunt Gazaros uocarunt, ut hodie quoq; ita uocantur Saracenico idiomate. Ad mare quoq; Hircanum Gazari habitantes, ubi & Circaſſi, Abgazari & Abgazelli à Gręcis uocantur, lingua utentes hodie quoq; Sclauonica. Egreſſa nanq; gens Sclauenorum ingentibus copijs è Scythia, & ſi credimus Solino, ex profundo Berſiliæ, circiter ſexcenteſimum annum ab incarnato Chriſto: magnam partem Europæ & Aſiæ occupauit: In Aſia quidem magnam partem Sarmatiæ uſq; ad mare Caſpium. Vbi Ciercaſſi gens Sclauenica ſedem habet: quæ aliquãdiu Aegypti tenuit imperium ſub nomine Mamaluchorum, quibus regnum ademit Zelimbeg pater Suleymanni Turcarum imperatoris. In Europa uero, quantũ eſt habitati ſoli à Tanaide uſq; ad mediam Germaniam, quæ magna dicitur. Siquidem Boemorum terra & Luſnicenſes Sclauorum coloniæ ſunt. Et rurſum à mari Baltheo, & Sarmatico ad pontum Euxinũ & Adriaticum mare, ubi Sclauonia notiſſima eſt. Quanquam & Dalmatiam & Illyricum occuparũt. Vt appareat autem quàm late pateat, quantusq; ſit uſus linguæ Sarmaticæ, apponam uerba Michaelis Cracouienſis canonici. Gentis originem refert ad Eliſam filiũ Iauan, à quo nationes Græcę deriuantur. Quod legere licet in ipſius opere libri prioris de Sarmatia cap. duodecimo. Et ſequẽti capite ſubdit: Collige quòd linguagium Slauorum ampliſſimũ eſt & diffuſum, plurimas terras poſſidens. Veluti ſunt Seruij, Myſij, Raſci ſeu Bulgari, Boſnenſes Turco hac tempeſtate ſubiugati. Veluti ſunt Dalmatæ, Croatę, Pannonij, Sclaui, Carni, Bohemi, Moraui, Sleſitæ, Poloni maiores & minores, Mazouitę, Pomerani, Caſſubitę,

Sclauenica lingua.

Sarbi, Ruteni, Moſcouitæ. Hi omnes Sclaui & Vindelici ſunt per ampla regna inhabitantes. Sed & Lithuani iam ſclauonizãt: Nugardi quoq;, Pleſcouienſes, Smolnenſes & Ohulici. Et hæc quidem Michael Polonus ordine commemorat. Cæterum de uſu linguæ & ueluti poſſeſſione antea monui loquens de lingua Rutenorum, Lithuanorũ & Turcarum. Turcis quidem uſq; adeo adlubeſcit, ut ſedem quoq; imperij Romani Sclauonica dialecto malint appellare Czarzowdom, hoc eſt, domum Cæſaris, quàm Conſtãtinopolim aut Bizantium. Videri poſſem officio functus enumerando idiomata linguæ Sclauonicę: Ad quam ſeriem gentium & populorum pertinent Sorabi, qui niſi fallor, hodie Seruij dicuntur, & Beſſi, qui Boſnanienſes, & Dalmatæ, & Illyrici. Verum adijcere non piget, quę duo uiri doctiſſimi noſtra memoria de his ſcripſerunt. Volaterranus quidem ad hunc modum: Græcas literas ueteres fuiſſe eaſdem pene, quę Latinę nũc ſunt, indicio eſt Delphica tabula ænea, quę Romę in palatio Mineruę dicata in bibliotheca temporibus Plinij, ut ipſe teſtis eſt, conſpiciebatur. In Latium attulerunt Pelaſgi, ubi diu incorruptæ permanſerunt. Deinde à Latinis interpolatæ: poſtremo per inſecutam barbariem Longobardorũ corruptæ: ut in eorum adhuc monumentis ac libris uidere licet. Idem ut in noſtris, ſic in Gręcis accidit fatum, proximo Illyrico literas eorum corrumpente. Quapropter in hunc uſq; diem Dalmatę & Illyrici his utuntur characteribus, quos à Gręcis acceptos dehoneſtauerunt.

Seruiana & Boſnanienſis literatura & lingua.

De Seruiana & Boſnanienſi tum lingua tum literatura ita ſcribit Poſtellus: Ex Gręca lingua nata eſt Georgianorum & Seruinorum lingua & literæ. Atq; alibi: Tzeruiani ſeu Poznaniani uſi ſunt characteribus Hieronymi ſeu Dalmaticis, ut lingua fuit communis Pannonijs, Illyribus, Dalmatis, Myſijs. Quum autem Græcis ob quędam dogmata eſſet interdictum communione Latinorum, hi qui Græcis erant uiciniores, characteres Græcos, ut plurimũ, nomine priorum ſeruato, repererunt. quæ ſunt numero XXX. Et paulò poſt: Græci ut plurimum ſunt characteres, quibus utũtur, quidam priſcam illam ſuam linguam ſcribentes, in qua omnia uulgaria, & ſacrificium ipſum habent. Alij Græcam cum ſua ſcribunt. Cuiuſmodi ſunt multi Valachorum, qui ad Dacos & Myſos inferiores pertinent: qui patriarcham Conſtantinopolitanum audiunt. Plures etiam illorum, qui ad Iſtrum

agunt,

agũt,ut pars Lithuanorũ & incolæ maris Pontici, Tauricæ Cherſonneſi,Paphlagonesq; utũtur ſacris more Gręcorũ communiũ.

Dalmatica lingua & litera.

Dalmatis,Illyribus,Pannonijs, & Myſis anno circiter CCC.à Chriſti natiuitate, una erat eademq; fere lingua permixta ſermone Græco,Italo,& aliquando Germanico. Quibus Hieronymus characteres reperit, ut hac in re differrent etiam à cæteris nationibus ſicut & lingua: etiam fortaſſe, ut in hac re nomen cõſecraret immortalitati. Videtur reperiſſe poſtquã perceperat literas Hebr. & Gręcas. Sunt enim multi characteres cum illis communes. Omnia etiam nomina literarum ſignificatiua ſunt, ut periti eius linguæ aſſerunt. Quod cum ſolis Hebręis commune eſt. Idem Hieronymus uetus & nouum inſtrumentum cum ſacrificio & precationibus traducta eò idiomate reliquit. Ita ſacerdotes omnes & populus prędicat in tota Dalmatia. Excuduntur permulti admodum libri harum duarum linguarum Venetijs, ut illic diſtrahantur. Dalmaticę linguæ nonnulla ponam in extrema parte commentarij, ut appareat eius conuenientia cum ſermone Polonico.

Eam quidem linguam,ſiue Sarmaticã dicere oportet,ſiue Sclauonicam,iuſto cõmentario cõplexus eſt dominus Ioannes Macznisky meus colendiſſimus pręceptor in lingua Polonica: iuuenis inter primos ornatus genere,ingenio,doctrina,cognitione multarum linguarum, religione Chriſtiana, humanitate,& omni genere uirtutum. Quos libros poſtquam ediderit,quod utinam breui fiat, cedet enim in bonum & ornamentum non modo patriæ ipſius Poloniæ,uerumetiam aliarum nationũ, res ipſa loquetur, ſermonem Sclauenicum tam eſſe analogiæ obſeruantem, quàm Latinũ aut Græcum. Sed parum adhuc dixi. Apparebit linguam iſtam Scythicæ originis,copia,ui,flexibilitate,elegantia,omnibus deniq; uirtutibus certare cum cultis iſtis linguis, & quæ ſolæ quibuſdam non barbaræ ſed humanæ uidentur.

Germanica & Gothica lingua.

Itaq; de lingua Theutonica & Germanica iam explicabitur: prius tamen de gentium Germ. origine. Vulgo Germania nunc diſtribuitur in ſuperiorem & inferiorem, hoch Tütſchen vnd Niderländer: qui dialecto non parum differunt. Sunt & aliæ diuiſiones apud ſcriptores, qui Germaniam partiuntur in primam & ſecundam: in ueterem & recentiorem: in magnam, & quæ ſit anguſtioribus finibus cõcluſa. Pleriq; intra celeberrimos fluuios concludunt, Rhenum, Danubium, & Iſtulam. Pomponius etiam

 ad Rheni fontes Germaniæ fines promouet. Certè Norici & Vindelici lingua Germanica ſunt uſi, qua & hodie utūtur. Arrianus quoq; libro primo de rebus Alexandri teſtatur Germanos accolas Ionij ſinus Alexandro interroganti ambitioſe, quid præcipue formidarent, animoſe reſpondiſſe, ne fortaſſe in eos cœlum aliquādo ruat. Non ſine ratione neq; ſine authoribus exiſtimo Germanos oriundos ab Aſchenaz nepote Iaphet ex filio Gomer. Neque friuole Iornandes Alanus collocat eorum ſedes patrias in Scanzia ſiue Scandinauia, quæ Schonlandia inſula dicitur. Quibus finitimi fuerunt Gothi, qui & Guthones, uel potius ipſi Gothi gens Germanica fuerunt, ut tradūt authores non temere contemnendi. Nam patria communis, quippe inſulæ Gothicæ, & lingua, & mores fuerunt. Eſt & alia diuiſio Germaniæ, accepta ex ſitu fermè gentium Germanicarum: quam Plinius reponit libro quarto hiſtoriæ naturalis cap. 14. Verum quia locus uitio tranſcribentium corruptus eſt, quantum à me fieri poteſt, citra mendas librariorum reddam. Genera Germanorum quinq;. Vandili: Alterum genus Vigeuones, uel Wagwoner, id eſt, accolentes undam profundiorem, nempe maritimi. Proximi Rheno Iſteuones, uel Vſſerſtewoner. Heruuones uel Herdwoner, nempe mediterranei. Quinta pars Peucini & Baſternæ contermini Dacis. Porrò quæ gentes illis generibus Germ. contineantur, non eſt ut hoc loco inueſtigemus, quo non tam de ſitu Germaniæ, quàm de lingua ſcribitur. Quæ latiſſime hodieq; patet. Nam ut prætermittātur Gothorum reliquiæ in Taurica Cherſonneſo, ut omittantur Septemcaſtrenſes, qui lingua Germanica utūtur, ut nihil dicatur de Iudæis, qui ubiq; propemodum gentium ſermone Germanico utuntur. Poſt occupatas partes Galliæ à Germanis, linguæ uſus patet ab Italiæ uicinis alpibus uſq; ad extremam Nortuuegiam & Tylen inſulam, quæ Islandia hodie nominatur, hoc eſt, ultra trecēta milliaria Germanica longe lateq;. Iam prouincias Romanorum inuadentes Germ. & Gothici populi ueluti Longobardi, Oſtrogothi & Vueſtogothi, Rugi, Heruli, Marcomanni Vandiliq; Italiam, Franci & Burgundiones & Gothi, & Nortmanni Galliam, Cathi, Sueui, Alani, Vandili Gothi Hiſpaniam, ſermonem prouincialem & Teutonicum permiſcuerunt. Caledones autē, & Angli, Scoti, Picti, Actacotti Albionem inſulam occupantes eiectis Britannis, qui Galliæ partem obtinuerunt,

runt,quæ Britonum dicitur, linguam uernaculam ſimul intule-
runt, quæ rurſum Gallicis & ſemilatinis uocibus interpolata eſt.
De ſermone autem incolentium Vualliam & Cornubiam antea
monuimus, uideri cognatum Grȩcorum linguæ ijs,qui de utraq;
lingua iudicare poſſunt.

Cæterum quæ lingua ſit Germanica & Teutonica hodie, mi-
nime eſt obſcurum: & quæ olim fuerit, id quoq; ex literarum mo
nimentis conſtat. Vuulphilam, quem alij Gulfilam nominãt,epi-
ſcopum dediſſe literas Gothis imperante Valente, hiſtoriæ teſtan
tur. Nõnullis Gordanis creditur Getis,quos eoſdem cum Gothis
putãt,literas dediſſe. A Latinis autem mutuo acceptas eſſe,arguit
ordo literarum, & nomina, & figuræ. Quanquam antiquæ Go-
thorum literæ,quibus libri aliqui exarati etiamnum extant,non-
nihil transformatæ ſunt. Quæ de literis & lingua Germanorum
ſcribit Ioannes Tritemius libro ſexto polygraphię,huc adſcriben
da eſſe iudico. Germanos olim literas habuiſſe à Græcis,plurimo
rum opinio tenet: quos & ſermone uſos fuiſſe Græco maxime in
ſacris ſuis conſtanter affirmant. Dicunt enim magnam inter Grȩ
cam linguam & noſtram extare conſonantiam: quamuis longa
intercapedo temporis eam conuenientiam penitus extinxerit. Et
paulò poſt: Druidas priſcos in Gallia pontifices ſacrorum Græ-
co ſermone uſos fuiſſe maxime in ſacris, Cæſar teſtatur in cõmen
tarijs. Verum Romanis orbem deuaſtantibus, ſuarum uſum lite
rarum tandem cum dominio multis nationibus uiolenter impo-
ſuerũt. Porrò Vuaſthaldus,qui res Francorum deſcripſit patrio
ſermone, literis uſus eſt, uti refert Hunibaldus, perquam ſimili-
bus characteribus Græcis,niſi quod epſilon & ypſilon & gamma
inuerſa uidentur. Porrò quum poſt diutinam dimicationem cum
Gallis & Romanis Franci totam propemodum Europam ſube-
giſſent, literas tamen Romanas,quas Germani reliqui acceperãt,
non deleuerunt. Quod autem Beda uenerabilis narrat de literatu
ra Nortmannorum, Latinas pariter & Græcas literas Nortman-
nos permiſcuiſſe, puto factum non ex uulgari more ſcribẽdi,ſed
arcana ratione,qua ſcribentes de arduis negotijs utuntur, quan-
do periculum eſt, ne literis concredita ueniant in notitiã eorum,
quibus minime oportet.

Quod uero linguam ipſam Germanicam adtinet,eam legibus
grammaticis,& dialecticis, & rhetoricis parere, neq; cedere qui-

 dem eloquio Romano ratione & ipſis rebus deprehendet, quem non pigebit operā ea in re ſumere. Me quidem non pœnitet operæ & diligentiæ, quam linguæ patriæ exactius cognoſcendæ impendi, & quicquid mihi uideor conſecutus, cādide alijs etiam impertiam, ubi ſenſero meum ſtudium bonis & cordatis hominibus non diſplicere. In præſentia quidem paucula Tritemij abbatis adijciam, ex quibus planum fiet arti grammaticæ congruere Germanicum ſermonem, haud ſecus ꝙ Ebrę̄ū, Latinū aut Græcum. Doctiſſimus ille quondam præceptor meus Ioannes Camerarius Dalburgius, eccleſiæ Vuormacienſis reuerēdiſſimus antiſtes, aliquot millia dictionum Græcarū collegerat, quæ in utraq; lingua, Græca & Germanica idem ſignificant. Porrò quod optimus & ſapientiſſimus epiſcopus fecit, fecit etiam Rodolphus Agricola, æternum decus Germaniæ, nec non Sigiſmundus Gelenius Bohemus natione libro edito. Atq; utinam propediem in lucem & uſum publicum ueniant libri Ioannis Auentini, quem non dubito plurima, ut de alijs rebus Germ. ita etiam de lingua ſcripſiſſe, cognitu longe digniſſima. Idem abbas Spanheimenſis hæc tradit accepta ex libris Otfridi monachi Vuiſſenburgenſis. Legimus, inquit, quod Carolus rex Francorum cognomento magnus, nationis ſuæ miſertus barbariem, Nannone, Theobaldo, Albino, & Berengero adiutoribus, linguā tentauit regulare Germanicam. Cumq; teſtāte Turpino tam arduum inchoaſſet opus, crebris bellorum incurſionibus retardatus non perfecit, ſed morte præuentus imperfectū dereliquit, nec ſurrexit poſt eum alius, qui huius rei curam ad animum reuocaret. Otfridus autem iam dictus monachus, Rabini Fuldenſis quondam auditor atq; diſcipulus, ſub Ludouico Pio ipſius Caroli filio grammatica illa quamuis imperfecta conſecutus, multa ſcripſit in lingua noſtra Germanica: quæ regularis inſtitutionis mirandā ſonare uidentur grauitatem. Carmina enim ad eandem normam lucubrauit plura heroico metro ſimul & elegiaco. Inſuper & proſaice nōnulla compoſuit ad Ludouicum regem Germaniæ, filium pij Ludouici & fratrem Lotharij imperatoris. Ad Otgarium quoq; archiepiſcopum Moguntinū, ad monachos ſancti Galli, & alios. Huius fragmēta grammatices aſſecutus & ego præſentes alphabeti characteres de multis extraxi, ne penitus perirent. Conſtat autem teſte Otfrido Carolū propria plura excogitaſſe alphabeta, quibus per latiſſimum

ſupelleĉtilem, ſed uerè Latinorũ; ut ab eo poſſint pueri tanquam ex fonte incorrupto haurire. Ne cogat eos per ambages, quæ ueſint eloqui, aut quod turpius atq; incommodius, digito indicare. Hæc quidem earũ rerum, quæ ſub ſenſus ueniunt, appellatio neceſſaria eſt inter ponendum prima rudimenta. Illud tamen prouectioribus utilius, ut aſſueſcant abſtruſos animi cogitatus ſcitè expromere: in quo uno ſita eſt uniuerſa eloquentiæ uis.

Memorabilis eſt etiã huius uiri ſententia in principio libri quarti poſita: Linguæ, inquit, fores ſunt diſciplinarum omnium atq; artium earum certè, quæ monimentis magnorum ingeniorum ſunt proditæ. Itaq; ignoratio linguæ cuiuſq; uelut hoſtium diſciplinæ illius claudit, quæ ea ipſa lingua eſt comprehenſa & conſignata. Sed meminerint homines ſtudioſi, ſi nihil adiecerint linguis, ad fores tantum perueniſſe eos artium, & ante illas aut certè in ueſtibulo uerſari; nec plus eſſe Latinè & Græcè ſcire, q̃ Gallicè & Hiſpanè, uſu dempto, qui ex linguis eruditis poteſt accedere: Nec linguas omnes labore illo propter ſeipſas dignas eſſe, hoc eſt, ſi aliud nihil quęratur. Quippe propter exteriorem utilitatem tantummodo parantur, ut ad ea penetremus, quæ linguis illis includuntur uelut theſauris quibuſdam pulchra atq; admiranda. Studio ſermonis finitima eſt ratio examinandi ueri & falſi per enũciata ſimplicia & compoſita, quæ cenſura ueri nuncupatur. Adoleſcens à ſtudio linguarum huc traductus facile quæ proponentur, capiet. Neq; uero quicquam oberit, quo minus ante finem peritię ſermonis cenſuram hanc auſpicetur: ut pariter & illud conſummet ſtudium & in hoc decurrat. Et paulò inferius, ut perficiat organum illud tripartitum explicandæ rationis, ait.

Linguæ fores ſcientiarum.

Cenſura ueri & falſi.

Dicendi rationem à bonis & ſapientibus uiris repudiari aut negligi minimè conuenit, quandoquidem efficaciſſima eſt ac potentiſſima, & in omnes uitæ partes neceſſaria. Nam in homine ius ac imperium ſummum eſt penes uoluntatem. Ratio & iudicium uelut cõſultores ſunt illi attributi: affectus autem ut faces. Atqui & affectus animi ſermonis ſcintillis accenduntur, & ratio incitatur ac mouetur. Quo fit, ut ſermo in toto hominis regno ingentes uires obtineat, ac ſubinde oſtendat. Nec immerito Euripides *τυραν νικόντι* uocat facundiam. Et iterum: Quando non habemus iam populum uel Latine loquentem uel Græce, operoſum eſſet noua in elocutione illarum linguarũ præcepta excogitare. Vetera ſuffi

Rhetorica.

 cient additis nonnullis ex natura ipſa catholicis, quę in omnes lin guas poſſint competere. Adiungetur ratio linguarũ, quo pacto inuentæ, adultæ, perditæ: quemadmodum cuiuſq; cenſeatur uis, natura, copia, elegantia, grauitas, cultus, & aliæ ſermonis qualitates. Hæc illis ipſis uerbis præcipit Viues. Tempus igitur eſt, ut ordine rationem hanc omnium linguarũ & literarum per ſuas partes aperiamus. Ac primum indicanda uidetur linguarum & literarum origo, deinde mutatio. In quibus rebus non paruum eſt inter magnos authores diſſidium.

De origine linguarum, & quod Ebraica *ſit omnium princeps & parens.*

PRima origine hominibus negatum fuiſſe uſum orationis, & nutibus tantũ atq; inconditis ſonis belluarum ritu mutuum aperuiſſe animi cogitationes, quod Victruuio, Diodoro & alijs nonnullis uiſum eſt, redarguit certiſſima hiſtoria beati Moſis: ad hæc ratio. Qui enim fieri potuiſſet, ut principio elingues & muti homines, poſtea de conſignandis omnibus rebus per uerba & ſer monem paciſcerentur? Aut quomodo ſapientiſſimus idemq; opti mus parens opifexq; rerum, qui hominem ad ſocietatem atq; mu tuam beneuolentiã produxit, rationem indidiſſet, facultatem autem & organum rationis explicandę negaſſet? Aut quomodo ab ſolutum ſimulachrum cõditoris dei expreſſum foret in homine, ſi non diuinæ mentis ſeſe per uerbum ab æterno generantis, ima go fuiſſet expreſſa? Unicũ autem initio fuiſſe in toto genere hominum ſermonem communem, ſicut unica eſt ratio, congruit ſo cietati arctiſſimæ & mutuæ opi, quã deus creator inter homines ultro citroq; uoluit conferri: quodq; omni generi animãtium ſua cuiq; peculiaris uox eaq; omnibus communis obtigit. Idem teſta tur antiquiſſima hiſtoria non tantum Moſis, ſed etiam Abydeni & Sibyllarũ, ut Ioſephus in antiquitatibus Iudaicis, & Euſebius in opere, cui titulũ fecit præparatio euangelica, teſtantur. Et cauſas quidem confuſionis linguarũ magno conſenſu indicant, nem pe temerarium, ſuperbum, iniuſtum, impiumq; facinus eorũ, qui urbem ac turrim Babel in campo Sennar contra conſilium atq; imperium dei moliti ſunt. Verum enimuero ardua fuit olim con tentio de antiquitate linguarum & gentium, inter Arcadas & Phryges, cuius meminit etiam Herodotus in Euterpe, quæ una

uoce

uoce infantilis uagitus compoſita & finita eſt, quia ſcilicet bek
ſonat panem: quam uocem infantes ſubinde ingeminando naturaliter ſine ulla inſtitutione ac magiſterio humano, ſatis certũ fecerunt Phrygas uetuſtiſſimos eſſe homines, in quorũ idiomate bek ſignificat panem, quem uagientes pueri flagitarunt. Cæterũ non obſcuris argumẽtis liquet ſermonem Ebræum eſſe parentem ac principem linguarum omnium, qui naturæ omnium rerum diuinarum ſimul & humanarum aptum nomen ueluti publicam notam imprimit, & frugalis eſt ſine omni luxu, nec ſordidus & parcus. Cuius ueſtigia non obſcura cernuntur in linguis omnibus. Cuius ſunt uocabula peculiaria tum propria tum cõmunia, quæ teſtimonio hiſtoriæ uetuſtiſſimæ ab initio mundi fuerũt impoſita. Nam Ebraicæ linguæ etymologiam præ ſe ferunt patriarcharum uetuſtiſſima nomina, Adam, Eua, Cain, Abel, Seth, Noa, Sem, Iapheth, Nimrod, Eber, Paleg. Sed fuerit ſatius id confirmare teſtimonijs aliquot idoneis. Ebræorum ſententia, quòd lingua ipſorum primigenia & patriarcha linguarũ ſit, tum alibi, tum in commentarijs Eſaiæ 19. cap. expreſſa eſt. Quo loco Nicolaus Lyranus idem aſſerit. Operæpretium tamen fuerit huc apponere iudicium Ebræorum de labio electo, cuius meminit Zophonias propheta, uaticinãs de Chriſti noſtri ſeruatoris temporibus, hiſce uerbis cap. 3. Tunc reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen domini, & ſeruiant ei humero uno. Quod labiũ electum quum aliqui ex noſtris hominibus ſuſpicẽtur Græcum, alii qui Latinum ſermonem, Ebræi excellentiſſimi intelligunt Ebraicum ſermonem. Quod uerbis Petri Galatini ex libri 12. cap. 3. de arcanis catholicæ ueritatis planum faciam. Sic enim ſcribit: Thalmudiſtæ labium hoc electum Hebraicam linguam eſſe aſſerunt, quòd eam deus præ cæteris elegerit, qua & patribus loqueretur, & legem ſuam daret. Quare legem ipſam, arcanaq; penè omnia prophetis reuelata, ea lingua ſcribi uoluit. Vnde & ipſam peculiari uocabulo ſanctã uocant. Eas ob res tunc iuxta propheticum uaticinium dominum ipſum ad populos labium electum ad uocandum nomen ſuum, & ad ſe colendum humero uno conuerſurum aiunt: cũ omnes gentes per Meſſiam ſaluandæ humero uno, id eſt, ſub uno ipſius Meſſiæ regno deum ipſum Hebraica lingua laudabunt. Quod poſt reſurrectionem generalem in electis adimplebitur. Quemadmodum enim ante linguarum diuiſionem

 in turri Babel factam uniuerſa terra unius erat labij: ita in reſurrectione generali omnes homines una loquentur lingua, Hebraica ſcilicet, qua primi parentes in paradiſo loquebãtur, & qua electi omnes in ſtatu innocentiæ locuti fuiſſent, ſi ipſi primi parentes in gratia dei ſtetiſſent. Audiamus etiã noſtros theologos, ac primum quidem Auguſtinum, columen eccleſię catholicę: Nam in multis locis fert ſententiam de principe lingua, ueluti quæſtione 108. ueteris & noui teſtamenti de lingua Hebraica, an acceperit nomen ab Eber, an ab Abrahã. Cuius uerba ſic habent: Hæc lingua eſt, quam dicimus primitus datã Adæ & cæteris, quam propter præſumptionẽ turris ædificatæ credimus in multas diſperſam & confuſam; ut non iam hæc, ſed multę ex hac immutatione habita quorundam dictorum exiſterent, ut unam haberent ſpeciem, nec tamen deperiret, ſed tota confuſa eſſet cæteris linguis. Ita enim tũc actum eſt, ne ſe homines intelligerent, & maiora auderent. Origenes autem, qui diligẽtiſſime uerſatus eſt in literis Ebraicis, omilia 11. ſuper libro numerorum ita ſcribit: Diuerſi angeli diuerſas in hominibus linguas operati ſunt ac loquelas: ut uerbi gratia, unus aliquis fuerit, qui Babylonicam uni tunc homini impreſſerit linguam, alius Aegyptiam, & reliqua. Manſerit autem lingua per Adam primitus data, ut putamus Hebręa, in ea parte hominum, quæ non pars alicuius angeli uel principis facta eſt, ſed quæ dei portio permanſit. Porrò Hieronymus Stridonenſis, quo authore legimus diuinũ codicem Latine redditum, Zophoniæ 3. cap. ita ſcribit: Nuge à nobis, ut erat in Hebræo, poſitum eſt, ut noſſe poſſimus linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matricem. Quod probat etiam Auguſtinus Steuchus in annotationibus ad geneſ. cap. 37. Loquens enim de rezi, hoc eſt reſina, ſic ſcribit: Eſt lingua Hebræa ut cæteris prior ac uetuſtior, ita omnibus admiſta, ac quaſi interſperſa. Ex eius enim uocabulis in omni lingua reperies. Quod & ab Hieronymo ſæpius obſeruatũ eſt, nam linguam Chaldaicam, Arabicam, Syram, Punicam & Aethiopicam ſileo, quarũ tanta eſt cum Hebræa ſimilitudo, ut eædem penè uideantur.

De literarum origine.

MArcus Tullius, eloquẽtiæ & philoſophię Latinæ princeps, libro primo quæſtionum Tuſculanarum ex literarum inuentione

acutas, graues, continuas, diſcretas, easq́; multis gradibus diſtinctas in longiores & longiſſimas, tot cõcinnas aut abſonas atq; abſurdas uoces per hemitoniũ, tonũ, ditonũ, diateſſaron, diapente, diapaſôn, diſdiapaſôn, tot concẽtus harmoniasq́; et ſymphonias, quatuor, aut ſex, aut XII. etiam uocũ comprehẽdit? Quæ tamen omnia una muſicorum ars in omnibus populis eadem comprehendit, miroq́; compẽdio poteſt ob oculos ponere in diagrammate muſico, quod ſcalam uocant. Quis credidiſſet omniũ gentium linguas & uoces XXIIII. elemẽtis concludi poſſe, niſi ars grammatica illud patefeciſſet? Quid dicam de omnibus artibus & ſcientijs, quæ conuenientia & pugnantia, contraria, diuerſa, uirtutes & uitia in eodem genere ſimul comprehendunt? Nam grammatica non minus præcipit de obſeruãda proprietate, ueluti Attici aut cõmunis ſermonis Græcorum, q̃ de uitando ſolœciſmo, qui ex Attico & Aſiatico permixtis inter ſe ortus eſt. Rhetorum ars indicat uitia exordiorum, narrationis, argumentationis, concluſionis, ea diligentia, qua recta ratio indicatur. Eſtq́; dialectices tum perfectam notitiam definiendi, diuidendi, concludendi aliquid ex propoſitis, & inueniendi argumentum idoneum ad diſcernendum uerum atq; falſum, tum inſidioſas cauillationes ſophiſtarum tradere. Medicina etiam, quæ ualetudinem bonã conſeruare, aut labefactatam reſtituere molitur, de morbis ſexcentis præcipit, nec modo cognitis iam experimento, ſed ijs etiam qui ullo tẽpore uarijs multisq́; de cauſis accidere poſſunt. Quemadmodum patrum & noſtra memoria morbis nouis & quidem capitalibus doctrina medicorum cito remedium inuenit. Scientiæ denique recte uiuendi, ut moralis philoſophia, ut iuriſprudentia, ut theologia, æque uitioſos mores & facta & affectus comprehendunt, atq; probos & bene informatos. Quumq́; diuina ſcientia pie beateq́; uiuendi proponit formam catholicæ & orthodoxæ fidei, eadẽ opera damnat falſas opiniones & dogmata, quęcunq; olim & hodie prolata ſunt à profligatis ingenijs, aut ullo tempore proferri poſſunt. Eſt igitur una communis omnium linguarum & literarum ratio, eaq́; perpetua & conſtans, & concluſa in naturę fontibus, qua linguæ uniuerſę diſcantur & tradantur, & iudicentur, & accommodentur ad uſum uitæ ordine modoq́; decenti.

QVum adoleſcens percepiſſem à magiſtris & iugi lectione aliquam cognitionem ſermonis Latini, Græci & Ebraici, neq; ignorarem linguam Germanicam, utpote patriam & uernaculam, easq; linguas inter ſe conferrem, ut eruditi uiri faciundum eſſe præcipiunt, uiſus mihi ſum eam rationem communem omnibus linguis & literis animaduertere, quanquam obſcurius adhuc. Mox inuitante me quadam inuentionis dulcedine, longius in ea cogitatione progrediens, ſubinde plura deprehendi argumenta, quæ confirmarent eam ſententiam. Deniq; facto periculo in aliquot linguis, obfirmaui animum in ea ſententia, donec rationibus melioribus ab ea deducerer: quas hactenus ſatis idoneas nullas animaduertere potui. Eapropter in primis adoleſcentiæ ſtudijs cœpi colligere non ſegniter ex omni genere ſcriptorum, ex grãmaticis, dialecticis, oratoribus, hiſtoricis, poëtis, philologis, iuriſconſultis, theologis, philoſophis, mathematicis, ſcriptoribus rei ruſticę, bellicę, ludicrę, architectõicę, materiã, ex qua in uſum precipuè meum aliquãdo commentarios inſtruerem linguarũ principijs Ebraicę, Gręcę, Latinæ, & Germanicę, methodo illa, quam in aliorũ grammaticorum commẽtarijs non animaduertebam: ſiue quia non uenit in mentem ipſis, ſiue quia nõ probarunt. Mihi quidem aptam & conuenientem iudicabam. Eaq; de re cum eruditis hominibus non paucis ſermonem habui aliquoties: quorum aliqui me à propoſito deterruerunt, ſiue diffiſi meo ingeniolo, ſiue rei magnitudinem conſiderantes. Aliqui calcaria ſubdiderũt currenti, quod dicitur, ut perſuadere quoq; uoluerint, qualecunq; ſpecimen eius rationis, quam animo comprehendiſſem, primo tempore in publicum edendum eſſe. Ingerentes mihi, nullam artem uno tempore inchoatam & perfectã eſſe: ingerentes mihi exempla præſtantiſſimorum hominum, qui aliquoties fœtus ingenij ſui reformaſſent. Ludeuicus Viues, incomparabilis uir ingenio, doctrina, iudicio, diligentia, & dexteritate in ſcribendo, quantum ex ſcriptis ipſius colligere poſſum, eam rationem perſpexit, & traditurus erat in opere de ratione linguarum, niſi mors immatura uirum optimum & doctiſſimum abſtuliſſet. Requirit enim à formatore iuuentutis, ut tradat cõmunia quędam pręcepta in omnes linguas. Multa etiam ſparſim leguntur in libris de diſciplinis, deq; ratione ſtudij puerilis, quę indicãt,

eam

eam cogitationem uerſatam eſſe in animo illius uiri. Verũ quum
is morte præmatura ſublatus ſit, neq; librum promiſſum de ratione linguarum ediderit, quantum potui diligenti ſciſcitatione perquirere, neminemq; norim, qui meditetur hoc argumentum publicato ſcripto tractare, quod in primis utile puto, uolui ex amicorum ſententia rationem eam utcunq; delineatam edere. Olim daturus perfectiora, ſi non prorſus improbata fuerit, & ſi dominus deus uitam cõceſſerit. Qui non habet meliora, ijs mecum utatur. Cui dominus largitus eſt dotes opulentiores, candide præſtet, quod Ariſtoteles poſtulat à ſuis lectoribus, ut pro erratis ueniam rependat ei, qui nec ſciens nec uolens peccauit, & perfectiora ſubſtituat, omiſſa reſarciat, aut totum ſcriptũ meum penitus aboleat, ſi ne Plinio quidem æquiſſimo iudici ſcribentium probari poſſit, qui nullum librum cenſuit eſſe tam malum, qui non aliquo pacto prodeſſet. Si ratio illa nõ diſplicuerit hominibus eruditis, ad eam aptabo commentarios Ebraicæ linguæ olim promiſſos, & edam inſtructiores, ubi maior cognitio ſermonis Arabici obtigerit. Id quod non parum ad rem pertinere exiſtimo. Non etiam negabo commentarios de lingua Germanica, ſi meum ſtudiũ & operam in ea re ſenſero probari bonis & cordatis hominibus. Idem facturos eſſe ſpero alios etiam uiros bonos, ut linguã patriam cum Latina comparatam, & ſuis hominibus & exteris cognoſcendam exhibeant. Præterea ut rationem eius rei à me inchoatam & delineatam utcũq;, perficiant. Placuit enim, ut Priſciani uerbis utar, exemplum proponere, ne pigeat alios etiam à me uel ignorantia forte prætermiſſa uel uitioſe dicta (nihil enim ex omni parte perfectum in humanis inuentionibus eſſe poſſe credo) ſua quoq; induſtria ad communem literatoriæ profeſſionis utilitatem cõgrua rationis proportione uel addere uel mutare tractantes.

Porrò methodus illa non longo tẽpore nec labore magno percipi poterit, ſi recte informatam ipſe iam exhibeo, aut alius abſolutiorem tradiderit. Quæ non linguarum peritiam quidem adfert ipſa, uerum monſtrat uiam, qua lingua quęuis ordine apto & pleniori commentario comprehendi queat, rectiusq; tum tradi tum percipi: eſtq; organum bene ac probe uerſandi in tractatione idiomatum. Linguas autem omnes aut plurimas comprehendere animo nec opus eſt omnibus, neq; conceſſum. Verum quas linguas tenere cuiuslibet intereſt, ut literati Europæi Latinã linguam in-

 ter ipſos communem ignorare non debent, & theologis Græcarum & Ebraicarum literarum notitia neceſſaria eſt, negotia uero exercentem cum exteris, oportet gentis, cum qua illi cõmercium eſt, linguam callere, eas peritus rationis communis facilius perdiſcet, ac retinebit firmius, & promptius accõmodabit ad omnem uſum. Quouſq; uero datum ſit progredi hominibus in cognitione linguarum, quum poſſem aliquot exemplis oſtendere, tribus ero in præſentia contentus. Primus eſt Guilielmus Poſtellus, qui edito ſcripto teſtatur ſe gnarum X V. linguarum. Deinde rex Mithridates, qui linguas X X I I. tenuit, & in ſingulis facultatem dicendi etiam in concione populi. Poſtremo Ioannes Petrus Luſitanus, qui apud reges Aethiopicos in magna fuit dignatione, tempore Ioannis ſecundi regis Portugalliæ, quem ferũt non tantum Arabicum & Indianum, & Luſitanum ſermonem calluiſſe, ſed omnium propè hominum linguas.

An hæc doctrina ſit utilis.

PAtrium ſermonem exacte nouiſſe multum refert. Quodq; M. Cicero filio ſuo præcipit, ut Latinæ, hoc eſt, patriæ linguæ pariter ac Græcæ facultatem ſibi comparet omni cura & diligentia, idq; ſuo exemplo, qui Græca cum Latinis ad magnam ſuam utilitatem coniunxerit, id obſeruandum eſt hodie etiam omnibus ſtudioſis, ut ſtudeant idem preſtare in patrio ſermone quiſq; & in Latino, qui artes omnes præclare traditas & commẽdatas ſibi habet, eſtq; communis inter literatos præſertim Europæos nominis Chriſtiani. Id autem ratione melius conſequuntur homines, ut omnia, q; ſine ratione. Magnum igitur operæpretium fecerit, qui admonuerit homines una ratione certa & conſtanti, & deriuata ex fontibus naturæ contineri omnium populorum & gentiũ ſermones, eamq; rationem oſtenderit, & quidem rectius informatã, quàm hactenus à nonnullis factum eſſe animaduertimus. Ac niſi plurimum utilitatis foret in ea notitia & animaduerſione, nunq; uiri excellentes tantum operæ & ſtudij uernaculo etiam ſermoni excolendo impendiſſent. Quod quidem fecerunt non ſolum grammatici & rhetores profeſſione, ut Quintilianus, Priſcianus, Seruius, Apollonius, Herodianus, Iulius Pollux, & alij complures tum Græci tum Latini: uerumetiã occupatiſſimi homines in rep.

ueluti Valerius Probus, Plinius ſecundus, M. Varro, Nigidius Figulus, C. Cæſar. Et eccleſiæ Chriſtianæ antiſtites, Iſidorus, Auguſtinus, Baſilius, Cyrillus: ut alios multos prætereã. Iudicium quidem Caroli magni de lingua Germanica & ſtudiũ excolendi eam ſupra poſuimus, quum ageretur de lingua Germanica. Ferunt & Maximilianũ imperatorem in animo uerſauiſſe emendationẽ ſermonis Teutonici. Doctiſſimi autem uiri Ioan. Tritemij ſentẽtiam paulò inferius reddã, quum de linguarũ mutatione explicabitur. Non prætermittere hîc etiam ſententiã grauem & ſapientem, ut iudico, Fabiani Franki ciuis Bolislauienſis, debeo. Cuius hæc ſunt uerba: Es wår on ſchaden/ja meins beduncktens doch von nöten / das ein gantze Grammatica hierin beſchribẽ wurd/recht regulierts Tütſchen. Die ſprach iſt ſo luſtig/nuzlich vnd dapffer in jrer redmaß / als inndert ein andere befunden wirt. Hæc ille. Quia uero ſermo in uſu & conſenſu populari poſitus eſt, ideoq; mutatur ſubinde multis de cauſis, ut uulgus eſt mutabile, nemo quidem poteſt leges dare populo, ut ſit loquendum: eſtq; difficilius imperito uulgo præſcribere leges loquẽdi, quum ſentiat popularis eſſe poſſeſſionis ſermonem, quàm uiuendi leges imponere & conſeruare. Nec ſilentio præterire hoc loco poſſum Pomponij Marcelli grammatici dictum, qui quum aliquid reprehendiſſet in oratione Tiberij, ut parũ Latinum, idq; Atteius Capito defenderet ut Latinũ, & ſi non eſſet, futurum tamen, ſignificans uidelicet Cæſaris Tiberij potentiam: ibi Pomponius conuerſus ad Tiberium inquit: Iam quidem Capito mentitur. Tu enim Cæſar ciuitatem dare potes hominibus, uerba dare non potes. Innuit uidelicet Pomponius, ne reges quidem dare poſſe ſermonem uulgo, qui uerſetur in ipſius arbitrio & conſenſu. At eo magis proderit extare certam & ſtabilem doctrinam tum recte iudicandi de ſermone recepto iam & probato in uulgus, tum eo recte utendi, tum conſeruandi ſermonis, quem uulgus temere in annos & propemodum in dies mutat, alia ſine iudicio damnans, alia recipiens. Quum enim ſermoni ueluti publico theſauro committi ſoleant res omnes publicæ & priuatæ, optimum fuerit eum certa ratione & ordine comprehenſum ad notitiam poſteritatis trãſmittere, ut etiam de ueteri & apud ipſos iam deſito ſermone iudicari poſſit, ne cũ antiquata ſermonis notitia ſimul perierit rerum ipſarum ſcientia. Id quod euenire cum

 malo ingenti, non obſcure intelliget, qui ciuilia negotia, leges, fœdera, diuinæ culturæ formam paulò diligentius conſiderauerit.

Quod exteras linguas attinet, ſi quis obſtrepat, earum cognitionem eſſe inutilem, ſuperuacaneam, noxiam, aut obijciat etiam & intentet crimen hæreſeos, ei primum opponam Philaſtrium eccleſiaſticum & ueterem ſcriptorem, qui numerat inter hæreticos eos, qui linguas reijciunt & damnant, quum ſint præclara chariſmata cœleſtis beneficentiæ. Eſto enim linguarum diuiſio pœna & ultio diuinitus inflicta inobedientibus, iam tamen peritiam habere linguarū, quid aliud eſt, quàm iſti pœnæ generis humani eripi? Opponam ſanctiones, ueluti Concilij Vienenſis, quæ iubent doceri non tantum Græcam & Latinam, ſed etiam Chaldæam & Arabicam linguam, ad propagationem religionis Chriſtianæ, & ſanctionem ordinum imperij, ut principum etiam liberi erudiantur Latina, Græca & Sclauonica lingua. Opponā exempla ſanctiſſimorum antiſtitum eccleſiæ, qui linguas peregrinas calluerūt magno eccleſiæ bono, Epiphanium, Origenem, Hieronymū, Auguſtinum, & alios innumeros, qui etiam hortantur ad capeſſendam cognitionem linguarum. Opponam linguas conſecratas in ara crucis à ſummo pontifice Domino Chriſto. De quo Aurelius Auguſtinus, qui teſtatur eccleſiam omnium gentium loqui linguis, ita ſcribit de mirabilibus ſcripturæ: Harum omnium linguarum noui teſtamēti tempore, tribus linguis, Hebraicæ utique Græcæ & Latinæ principatus committitur, quia in eis crucis Chriſti titulus literis Hebraicis, Græcis & Latinis ſcriptus, euangelica authoritate perhibetur. Ac mihi quidem in reputatione linguarum admiratione dignum uidetur, quum linguæ omnes poſſideant ſaltem aliquam unam certam ſedem & habeant imperium, quæque iam abolitæ ſunt, ut Aegyptia, Perſica uetus, olim quū uigerent, habuerint imperium, linguas principes Ebræam, Græcam & Latinam, quibus cauſa Chriſti Ieſu morientis in cruce fuit ſcripta, non habere certum alicuius gentis domiciliū, ne dicam, nullum habere, ut olim, imperiū. Nam Græcus ſermo in Græcia uſitatus hodie, & Latinus in prouincijs, in Italia, in Latio, in urbe, deflexit à prima ſua origine. Iudæi autem non ut uernaculū poſſident iam, ſed eo utuntur ut Germani Latino, aut Græco, aut etiam Ebræo: & ſunt inquilini Iudæi apud omnes nationes. In qua quidē admiratione mihi non quicquam probabilius uenit in mentem,

quàm

quàm Chriſtũ regem regum, cui pater cœleſtis dedit omnes gentes, & poſſeſſionem terminos uniuerſæ terræ, linguas illas ſuæ ciuitati, ſuo regno & imperio conſecraſſe: quibus iam in gloria patris etiamnum concionatur per fidos miniſtros. Vt philoſophia Chriſtiana ubiq; gentium propagetur, cuius hoc ſupremum eſt axioma, quòd Ieſus Nazarenus crucifixus ſub Pontio Pilato, eſt Meſſias rex tum Iudæorum tum omnium gentium, uerus deus ſimul & uerus homo, unus ſeruator & mediator dei & hominum. Vt in nomine Ieſu flectatur omne genu, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria dei patris. Id erit confuſionem linguarũ in Babylonica molitione introductam remouere diuinis auſpicijs, & ex tot linguis unam quodamodo facere. Id erit obices & impedimenta ſocietatis humanæ feliciter reuellere, & ſubmota hoſtilitate ex animis ſanctam ſocietatem atq; commercium inſtituere, conciliare, fouere, confirmare. Id erit homines omnium terrarum ad unum ouile & unum paſtorem æternum, qui tradidit animam ſuam pro ſuis ouibus, reducere. Vt unus deus, qui creauit omnia per filium cum ſancto ſpiritu, qui ab utroq; procedit, colatur una lingua & ore, unoq; humero, ut ſancti dei prophetæ olim uaticinati ſunt.

Iam in ſcriptoribus omnibus occurrunt exotica & peregrina uocabula, in hiſtorijs quidem plurima, necnon in ſcriptis medicorum & mathematicorum, quæ non ſine fraude hominum ignorantur. Id etiam in theologorum libris euenire, uel ipſi prophetæ ſatis indicant. Quod teſtatur diuus Hieronymus hiſce uerbis in commentarijs Abdiæ: Sepharad Aſſyriorum lingua terminus dicitur, Hebr. gebul. Nam conſuetudinis prophetarum eſt, quãdo loquuntur contra Babylonem, Amonitas, Moabitas, Philiſtijm, & cæteras nationes multis ſermonibus linguæ eorũ abuti, & ſeruare idiomata prouinciarum. Hæc Hieronymus, qui de uniuerſa lingua Ebraica idem pronũciat in commentarijs Eſaiæ hiſce uerbis: Lingua Punica, quæ de Hebræorũ fontibus manare dicitur, proprie uirgo alma appellatur. Omniumq; penè linguarum uerbis utuntur Hebræi. Quamobrem perutile fuerit extare cõmentarios de quauis lingua, ad quos uelut interpretes ſtudioſi confugerent, quoties ſe peregrina & ignota nomina offerrent; extare etiam admonitionem & demonſtrationẽ, una ratione cõmuni linguas omniũ populorũ deuinctas eſſe, & quadã cognatiõe teneri.

Iam uero mihi uideor deprehendiſſe rationem linguarum & literarum, & patefacere poſſe hoc commẽtario, qua Latina, uel Græca, uel Ebræa lingua facilius percipiantur & rectius, ꝙ ex aliquorum libris editis: qua rerum & uerborum cognitio apte iungatur: qua res gentis cuiuſꝗ ita proponantur, ut melius perſpici poſſint, ꝙ ex hiſtoria uerboſiſſima: qua pueri ſtatim à primis annis recta uia manuducãtur ad cognitionem rerum, deniꝗ talem rationem, quæ uicem organi præbeat ad explicandam ſapientiam, hoc eſt, rem maxime diuinam, & ſalutarem & neceſſariam uitæ, in omnibus populis & nationibus. Quæ rurſum indicabo in ſuis locis plenius. Cenſeo etiam huc adſcribendum eſſe iudicium Ludeuici Viuis de notitia ſermonis & linguarum: quo longioris inquiſitionis labor adimatur lectoribus huius cõmentarij. Sic enim ſcribit uir longe doctiſſimus initio libri tertij de tradendis diſciplinis.

Sermo.

Prima in homine peritia eſt loquendi, quæ ſtatim ex ratione ac mente tanquam ex fonte profluit. Idcirco beſtiæ omnes ſicut mente ita & ſermone carent. Eſt etiam ſermo ſocietatis humanæ inſtrumentum. Neque enim aliter retegi poſſet animus tot inuolucris & tanta denſitate corporis occultus. Ac quemadmodum mentem munere habemus dei, ſic etiam loqui naturale eſt nobis: hanc uero aut illam linguam, artis. Itaꝗ domi à parentibus, & in ſchola à præceptore danda eſt opera, ut patriã linguam pueri bene ſonent, quantumꝗ ætas illa patitur, ſint facundi. In quo magno erunt parentes adiumento, ſi ipſi uel in filiorum gratiam curẽt, ut ſenſa animi ſui caſtis uerbis & integra atꝗ apta oratione expromant. Hinc ut idem nutrices & nutritij faciant, & ij, inter quos agunt: ne perplexe, abſurde, barbare loquantur: ne uitia oris habeant, quæ facile teneræ ætati adhæreſcunt. Chryſippus ea de cauſa etiam doctas uolebat nutrices eligi. Magni intereſſe ait Cicero, quos quiſꝗ audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur à puero, quemadmodũ patres, pædagogi, matres loquantur. Non leue eſt hoc momentum ad eas linguas diſcendas, quæ parantur arte: tum ad facile cogitatus animorum & percipiendos alienos, & exponendos noſtros. Sacrarium eſt eruditionis lingua, & ſiue quid recondendum eſt, ſiue promendum, uelut proma quædã conda. Et quando ærarium eſt eruditionis ac inſtrumentũ ſocietatis hominum, è re eſſet generis humani unam eſſe

Lingua una communis.

linguam,

linguam, qua omnes nationes communiter uterentur. Si perfici
hoc non poſſet, ſaltem qua gentes ac nationes plurimæ, certè quā
nos Chriſtiani initiati eiſdem ſacris & ad commercia & ad peri-
tiam rerũ propagandâm. Peccati enim pœna eſt, tot eſſe linguas.
Eam uero ipſam linguam oportet eſſe quum ſuauem, tum etiam
doctam & facundam. Suauitas eſt in ſono ſiue ſimplicium uerbo
rum ac ſeparatorũ, ſiue coniunctorum. Doctrina eſt in apta pro-
prietate appellandarum rerum. Facundia in uerborum & formu
larum uarietate ac copia. Quæ omnia efficerent, ut libenter ea lo
querentur homines, & aptiſſime poſſent explicare, quæ ſentirēt;
multumq́ per eam accreſceret iudicij. Talis uidetur mihi Latina *Latina lin-*
lingua ex ijs certè, quas homines uſurpant, quæq́ nobis ſunt co- *gua.*
gnitæ. Nam illa perfectiſſima eſſet omnium, cuius uerba rerum
naturas explanarent. Qualem credibile eſt fuiſſe illam, qua A- *Adami lin-*
dam ſingulis rebus nomina impoſuit. Hæ enim ueræ ſunt rerum *gua.*
appellationes, de quibus in ſacro carmine legitur: Qui numerat
multitudinem ſtellarum, & omnibus illis nomina uocat, magnus
dominus, & magna uirtus eius, & ſapientiæ eius non eſt finis. Ad
hanc ſententiam pertinet Cratylus Platonis, quem Ariſtoteles ta-
men aliorſum detorquet in libro de interpretatione. Et hoc de-
mum inuētum Pythagoras præter cætera eximie admiratur. Sed
ad Latinam linguā reuertamur. Ea quoniam diffuſa eſt iam per *Latina lin-*
complures nationes hominum, tum artes penè omnes illius ſunt *gua.*
literis mandatæ, eſt etiam copioſa, quia exculta & aucta multis
ſcriptorum ingenijs, ſono inſuper ſuaui, tum grauitatis cuiuſdam
non ferinæ & agreſtis, ut in alijs nonnullis: ſed fortis & prudentis
uiri in ciuitate bene inſtituta nati ac educati, nefas eſſet non coli
eam & conſeruari. Quæ ſi amitteretur, & magna confuſio ſeque
retur diſciplinarũ omnium, & magnum inter homines diſſidium
atq́ auerſio propter linguarum ignorantiam. Quoniamquidē, ut
D. Auguſtinus inquit, mallet quiſq́ cum cane ſuo uerſari, quàm
cum homine ignotæ linguæ. Ad dilatandam etiam pietatem uti-
liſſimum eſt homines mutuo intelligere. Vtinam Agareni & nos *Arabica*
communem aliquam haberemus linguam: ſperarem futurũ bre- *lingua.*
ui, ut multi ſeſe illorum ad nos reciperent. Hæc eadem fuit cauſa,
cur dominus apoſtolis ſuis donum linguarum contulerit. Fides
enim, ut dicit Paulus, per auditum: cui lingua inſeruit. Quocirca
uehementer cuperem, ut in pleriſq́ noſtris ciuitatibus gymnaſia

 inſtituerentur linguarum non ſolum illarum trium, ſed Arabicę, ſed earum etiam, quæ eſſent Agarenis populis uernaculæ. Quas addiſcerent non otioſi homines ad gloriā inde captandā & plauſum, ſed ardentiſſimi zelo pietatis, parati uitam pro Chriſto impendere. Vt eis inſtructi Chriſtum illis gentibus annunciarent, quæ pauciſſima ac nihil penè de illo audiuerunt. Expedit præterea linguam eſſe aliquam doctorū ſacram, qua res arcanæ conſignentur: quas à quibuſuis non conuenit cōtrectari ac pollui. Et haud ſcio an conduceret ſecretiorem eſſe hanc ab illa communi. Quanquam in communi illa receſſus ſunt quidam per metaphoras, alluſiones, ænigmata, & eiuſmodi conformationes dicēdi, imperitis aut tardis hominibus inacceſſi. Quibus de cauſis & rationibus addiſcendus eſt Latinus ſermo, & quidem exacte, ne corrumpatur. Nam corruptus continuo deſinet unus eſſe. Singulæ regiones habebunt ſuum. Quo fiet, ut homines nec mutuo intelligant, neq; artes illas, quæ Latino ſermone continentur. Quod contigiſſe ipſi uidimus. Huic linguæ dabit operā puer, dum alijs percipiendis rerum diſciplinis non eſt per infirmitatem ingenij ſatis idoneus: nempe ab anno ſeptimo ad quintumdecimum. Sed id præceptor ex cuiuſq; ingenio & progreſſibus melius ſtatuet.

Lingua eruditis peculiaris.

Græca lingua.

Si quis Latinæ linguæ Græcam adiunxerit, ex ambabus multa reliquarū artium ſemina accipiet. Vt iam à linguis illis ad nullam artium rudis prorſum & nouus ueniat. Quippe ab ijs authoribus ſermonem hauriet, in quibus non ſola erunt uerba, ſed nec eſſe poſſunt. Multa enim ineſſe ex alijs diſciplinis cōſperſa, eſt neceſſum. Et eadem opera Gręcam Latinamq; linguam cognoſcet. Adde, quod Græca eſt erudita admodū & locuples. Et quemadmodum Latina lingua alias poteſt copia ſua inſtruere ac iuuare, ſic Gręca tum Latinam ipſam, tum alias quoq; auget & adornat: eſtq; perfectioni Latinitatis neceſſaria, non ſecus ꝙ Latina Italicæ aut Hiſpanæ. Nec ullus abſolute fuit Latini ſermonis peritus, niſi & Græco imbutus. Ex ſermone enim Græco Latinus, ex Latino Italus, Hiſpanus, Gallus manarunt, quibus olim nationibus Latina lingua erat uernacula. Itaq; uſu deprehendimus Latinam linguam fœcundiorem ac facundiorem ex Græca fieri, ex Latina reliquas Europæ: ſed potiſſimum tres illas, quas modo nominaui. Quas maxime expediret Latino ſermoni aſſueſcere, tum ut eum ipſum, & per eum artes omnes probe intelligerent: tum ut

ſermonem ſuum patrium ex illo uelut aquã copioſiorem ex fon te deriuatam puriorem atq; opulẽtiorem redderent. Quid quod multa ſunt Græcis literis memoriæ mandata in hiſtoria, natura rerum, moribus priuatis ac publicis, medicina, pietatẽ, quæ de ipſis fontibus & facilius hauriuntur & purius? Si quis propter uetus teſtamentum Hebræam uelit cum his coniungere, nihil impedio his legibus, ſi ſatis putat fore temporis ad omnia, ſi ſe incorrupte eam accepturum confidit. Nam audio multa eſſe à Iudæis in ſuis codicibus deprauata, partim conſulto Chriſti odio, partim inertia, dum toties mutãt ſedes, nec uacat iuſtam operam in literis ponere. Certè ſi duos Hebræos de eodem loco conſulas, rarò cõſentient. Et Latinam linguam exacte uelim pernoſci. Hoc enim ad conuictum & ad artes omnes expedit. In Græca magni ſunt labyrinthi, & uaſtiſſimi receſſus non ſolum in dialectis uarijs, ſed in unaquaq; illarum. Attica & Atticæ proxima communis maximè ſunt neceſſariæ, propterea quod & ſunt facundiſſimæ atq; excultiſſimæ: & quicquid Græci habent, legi ac cognoſci dignũ, iſtis dialectis eſt conſignatum. Reliquis utuntur authores carminum, quos non tanti eſt intelligi: præſertim quum non in dialectis modo, ſed in appellandis rebus, & colore loquendi tantum ſit inter orationem numeris ſolutam & adſtrictam diſcriminis, ut nõ uideatur eſſe eadem lingua. Nec immerito Antonius Ciceronianus poëtas ait non auſum ſe attingere, tanquam aliena locutos lingua. Tametſi ex poëtis quoq; optimi, & quos operæpretiũ ſit legere, Attici ſunt, Euripides, Sophocles, Ariſtophanes, & q̃d Menãdri eſt reliquum. Si quis tamen ingenio ac memoria ſit præditus, adiutus ætate ac otio, inſtructus diligentia ac ſtudio, huic nihil uelim negatum. Imò hunc tam feliciter paratum, ad capeſſendum linguarum & artium omnium laborem impẽdio exhortor. Si ad literas aliquis uel ſerior uenerit uel occupatior, uel ingenio aut memoria defectus, huic Latinus ſermo ſuffecerit. Nihil eſt enim oſtentationi dandũ, quæ præclaros uirtutis fructus tanquam peſtilẽti afflatu corrumpit, ſed uſui & neceſſitati. Nec mihi exemplum quis adduxerit M. Catonis Cenſorij, quem ad Græcas literas natu iam grandem ueniſſe tradunt: utiq; non ad elementa & prima exordia ſermonis, ſed ad lectionem authorum. Et mox: In ſermone qui ore totius populi teritur, nihil neceſſum eſt per artem aut regulas formari. Ex populo ipſo promptius ac melius di

Ebraica lingua.

Dialecti Græcæ linguæ.

Vernaculus ſermo.

 ſcetur. Quanquam ſunt nonnulla à doctioribus ex analogia obſeruata, ut in populo Romano etiam tum, quum illi rerum domino ſermo hic Latinus uulgaris eſſet ac patrius. Sed in quocunque alio adſcititio, qui iam nullius eſt gentis, omnino formulæ ſunt opus, ne fallaris, neu loquaris uitioſe. Nam quum ſermo in hoc ſit paratus à natura, ut intelligare, & uiciſſim intelligas, grammatica hoc præſtabit, ut ea deuites uitia, per quæ efficitur, ut nec te alij intelligant, nec tu alios. Qui enim probe loquuntur Latine aut Grece, probe inter ſe intelligunt: contra autem qui perperam. Vt barbariſſans Hiſpanus, barbarus eſt barbariſſanti Germano, & hic uiciſſim illi. Et paulo inferius: Loquentur pueri primum ſua lingua, quæ illis domi eſt nata. In qua ſi quid peccent, emendabit præceptor, dehinc paulatim Latine. Admiſcebunt ea, quæ de preceptore hauſerint, uel ipſi legerint. Vt inter primordia mixtus ſit ſermo in ſchola ex patrio & Latino. Foris patrium loquentur, ne omnino conſueſcant linguas commiſcere ac perturbare. Curabit inſtitutor, quantum præſtare poterit, ut pura ſint uerba & ſermonis Latini propria. In hoc, ut in omni alio exercitio admonendi ſunt tyrones, ut fidant magis canonibus, quam uſui uel iudicio ſuo: Quæ duo rudibus ſunt infirma, & facile imponũt. Senſim accreſcet eruditio: tum erunt prorſum Latini. Conabũtur ſenſa animi Latinis uerbis expromere. Nihil eſt enim, quod æque ad percipiendam linguam ualet, ut uſus. Quod ſi quis loqui erubeſcat, huic linguæ eſt facundia deſperanda. Et paulò ante idem Ludeuicus ait: Preceptor uernaculam puerorum linguam exacte cognoſcet, ut commodius per hanc & facilius eruditas illas tradat. Quod niſi in lingua patria aptis & proprijs ad eam rem, de qua loquitur, utatur uerbis, fallet ſubinde pueros. Iſque error adultos iam & grãdes pertinaciter comitabitur. Quid quod pueri nec ſuam ipſorũ linguam ſatis intelligunt, niſi explicatiſſime ſingula dicantur? Teneat memoriã omnem uetuſtatis linguæ patriæ, & cognitionem non uerborũ modo recentium, ſed priſcorum quoque, & quæ iam exoleuerunt, ſitque uelut præfectus quidã ærarij linguæ ſuæ. Nam ni ita fiat, quum unaquæque lingua mutationes crebras recipiat, libri ante centum annos ſcripti non intelligerentur à poſteris. Qua de cauſa multa in duodecim tabulis M. Ciceronem & magnos iuriſconſultos fugiebãt: multa etiam quotidie in linguis uulgaribus fiunt ignota. Habebit amplam & copioſam uerborũ Latinorum

ſupelle-

regnum ſecure uteretur in arcanis cum ſingulis præfectis. Hæc il 19
li. Cæterũ notæ occultioris ſcriptionis referunt formas literarum Aethiopicarum, & quibus mathematici aſtra notãt, & eiuſmodi. Aliæ autem literæ appoſitæ, quibus notæ explicantur, Gothicæ ſunt. Didici ex amicis extare grammaticas præceptiones inchoatas à Carolo magno, in quibuſdam Germaniæ bibliothecis.

Poſtremo de lingua Romana & Latina quid multis agatur, an methodo comprehendi queat, quæ à tot grammaticis, dialecticis, rhetoribus, philologis, & olim & noſtro æuo etiam libris editis ad cognoſcendum expoſita eſt? Quæ dum ſedem haberet certam in urbe & in Latio, haberet etiam imperium, & maxime uigeret in prouincijs Romanis, habuit tamen aliquot diſcrimina, & illa non obſcura. Fit enim crebra mẽtio linguæ Latialis, Volſcæ, Sabinæ, Opicę, Hetruſcę. In Tito quoq; Liuio animaduerſa eſt à Pollione quędã Patauinitas, quia fuit Patauienſis, nec purũ putũq; Romanum eloquium per omnia retinuit. Iam in Auguſtino, Cypriano, Tertulliano, & alijs Afris utentibus ſermone prouinciali eſt quiddam uernaculum & Africanum. In Hilario, Proſpero cæteriſq; Gallicis ſcriptoribus eminet aliquid peculiare. Itemq; Anneus Seneca, Lucanus, Sedulius, Columella, adeoq; ipſe Quintilianus redolent nonnihil Hiſpanienſe. *Latina lingua.*

Porrò de literis Hetruſcis Volaterranus ita ſcribit: Refoſſa nuper ſunt Volaterris multa ueterum Hetruſcorum monumenta cum literis Hetruſcis, quæ olim Liuio Plinioq; teſtibus apud Romanos in pretio fuere, nunc autem penitus incognitæ. In ſtatuæ quidem inſcriptione, quam idem Raphael exhibuit, agnoſcere licet pleraſq; Latinas literas A E I O V. B C D F K L M N & alias. Quædam apparent inuerſæ Græcorum & Latinorum literæ, quædam compoſitæ in unam ſyllabam. Sunt ſanè authores, qui aſſerãt literas à Demaratho Corinthio ueniſſe ad Hetruſcos. Poſt irruptiones Gothorum, & Germanicarum gentium, & Sclauinorum, atq; lacerationem & ruinam imperij, ſermo prouincialis degenerauit lõgius à ſua origine. Vt in prouincia Daciæ Vualachorum lingua. Vlaſky enim Italum aut Walhen ſonat Sclauis. Idem accidit in Hiſpanijs, in Gallia, deniq; in ipſa Italia, in Latio, in urbe domina gentium & ſede Romanæ eloquentiæ. Præterea ſingulæ prouinciæ rurſum habent ſuas dialectos. Veluti ſermone Italico utentes peritus linguæ diſcernit, Longobardũ, Thu *Hetruſcæ literæ.*

 ſcum, Siculum, Rhetum. Similiter in lingua Francica, Prouincialem, Allobrogem, Burgundionem, Pariſienſem, Picardum. In Hiſpanica lingua, Catalanum, Caſtellanum, Portugallenſem. Quæ quidem diſcrepantia dialecti etiam latius diffuſa & ſparſa eſt, indiesq; peregrinitate & alijs modis augeſcit. Et tamen uiri eruditi atq; de patria bene meriti, eas linguas in artis formam concluſerunt, ut Bembus, Corderius, Droſæus, Aelius Antonius Nebriſſenſis, & alij. Quæ res arguit cuiuſcunq; gentis linguam non refugere artificioſam tractationem, ſi modo ſtudium & animaduerſio adhibeatur.

Chananaica lingua. In linguarum enumeratione quæri etiam poteſt, quæ nam ſit lingua Chananaica, præſertim quũ Eſaias propheta eximius iungat religioni & culturæ Iſraelitici dei uaticinãs Aegyptijs cap. 19. fore, ut in illa ſuperſtitioſa gente, atq; adeo colluuie omnis idololatriæ, uerus deus & cognoſcatur & colatur. Chriſtiani tractatores iuxta & Ebræi linguam Chanaan intelligunt Ebræam. Onias quoq; Iudæorum pontifex fretus oraculo Eſaiæ, fore, ut quinque ciuitates in Aegypto loquantur lingua Chanaan, ſitq; templum domini in medio terræ, petijt à Ptolemæo Philometore, ut ei permitteretur Heliopoli templum Hieroſolymitani æmulũ extruere. Quod Ioſephus factum eſſe teſtatur, lib. 13. antiquitatũ, ſicut Daniel præcinuerat 11. cap. inquiens: Filij quoq; præuaricatorum populi tui extollentur, ut impleant uiſionem, & corruent. Loquitur autem Eſaias de clade, quam Senacherib illaturus erat Aegyptijs & Aethiopibus laturis opem Ezechiæ, nec non de ſalute, quæ ſecutura ſit afflictionem, ut Aſſyrij pariter & Aegyptij poſt extinctum Senacherib tyrannum impijſſimum, agnoſcant deum Iſraelis. Quando religio Iſraelis adeo inualeſcet in Aegypto, ut etiam lingua Iſr. utãtur quinq; urbes, hoc eſt, aliquot, numero certo poſito pro incerto. Inter quas nominatim ponitur ciuitas ſolis, Heliopolis, ſedes Aegyptiacorum ſacerdotũ & ſophiſtarum, & idololatriæ. Itaq; lingua Chanaan dicitur, non qua ſunt uſi Chananæi poſteri maledicti Cham, ex quibus etiam fuerunt Aegyptij: ſed qua ſunt uſi habitantes in terra Chanaan, primum quidem patriarchæ Abraham, Iſaac, Iacob, deinde Iſraelitæ eiectis Chananæis & Phœnicibus. Alioqui lingua Chanaan, qua ſunt uſi Tyrij, Sidonij, & reliqui Phœnices, lingua eſt Arabica ſiue Punica propagata per colonias Phœnicum olim in Numidia, Mauritania

Cæſa=

Cæſarienſi & Tingitana, in ipſa etiam Hiſpania ante aliquot ſecula inhabitata à colonijs Phœnicum. Multoq́ꝫ mihi probabilius eſt Mauros erroneos, quos Cinganos uulgus appellat, aut Zegeiner, qui auorum ætate primum in noſtris regionibus innotuerunt, ex Chenaan Cingan denominatos, quàm Vzios aut Aegyptios natione eſſe. Chananæos autem in Mauritaniam & Numidiam profugiſſe, unde gens aduena primum traiecit in Europam, quando eos Iſraelitæ Ioſua duce auitis ſedibus pepulerunt, teſtantur uetera monimenta, ueluti ſtatua reperta apud Tingim urbem primariam Tingitanæ Mauritaniæ, & tabulæ paſſim repertæ in Numidia. Quarũ eiuſmodi fuit inſcriptio: Nos ſumus Chananæi, quos eiecit Ioſua latro. Cuius rei meminit etiã Suidas in uoce χαναὰν.

Porrò quum diuinus Paulus dicat: Si linguis hominũ loquar & angelorũ, quumq́ꝫ Eſaias capite ſexto memoret ſe audiuiſſe alternis clamantes ſeraphim: Kadoſch kadoſch kadoſch Iehoua tzebaoth, melo chal haaretz Cebodo: quumq́ꝫ ſpiritus crebro legantur cum hominibus ſermocinati, & deus ipſe, qui ſpiritus eſt, multifariam multiſq́ꝫ modis olim locutus ſit cum patribus, quęri poteſt, quod nam ſit idioma ſpirituum. Ex hiſtorijs patet ſpiritus fuiſſe uſos agendo cum mortalibus eo ſermone, quem ipſi homines caperent. De ſermone autem cœlitũ ſi quis requirat, eum remittam ad Dionyſium diſſerentem de cœleſti hierarchia & eccleſiaſtica, & ad tertij libri caput 23. de occulta philoſophia Agrippæ. Vel potius iubebo colere pietatem Chriſtianam, ut conſors fiat cœleſtis ſodalitij, qui experimento feliciſſimo illum ſermonem cognoſcat. *Spirituum ſermo.*

Enumerauimus hactenus linguas propè omnes, quę à diuiſione facta in Babel ullo tempore fuerunt, ex quibus non modo principes illæ & ueluti parentes Ebræa, Gręca & Latina pręceptis certis comprehenſæ ſunt, uerumetiam nouem aliæ, quę barbaræ ſolent appellari, indigno, ut equidem iudico, nomine. Vt neq́ꝫ dubium neq́ꝫ obſcurum relinquatur, omnem ſermonem adſtringi poſſe legibus rationis & artis. Quumq́ꝫ ſingulæ conſtent certa ratione, uniuerſæ etiam linguæ una communi ratione continentur. Nam ratio ipſa ſibi nõ diſcrepat. Vel enim linguę omnia, aut certè pleraq́ꝫ, habent communia, & una erit de illis doctrina. Vel diuerſa & contraria erũt. Attamen contrariorum eſt eadem doctrina in uno genere. Vel quædam habent communia, quædam di-

 uerſa. Et id quoq; una methodus communis oſtendere poteſt per uniuerſas linguas. Iam ſingulas linguas conferri poſſe per omnes partes etiã minimas cum Latino ſermone, ut diſpiciatur, quid in utraq; commune, quid peculiare ſit, nemo negabit. Vnde ſequitur, ut quæ ad unum aliquod mediũ conformitatem habent, ipſa quoq; inter ſe ratione communi deuinctæ ſint. Iam deus peccata molientium turrim in Babylone puniuit cum iudicio & clementia, ut non deſtruxerit opus ſuum præſtantiſſimum, hominem dico, propter quem condidit mundum, & omnia quæ ipſius ambitu continentur. Reliquit enim rationem propriam notam humanitatis, qua ſoboles Adami longe præpollet omnibus animantibus, & cognationem habet cum mentibus æternis, eamq; unam & communem omnibus hominibus. Reliquit etiam facultatem exprimendi ſenſa mentis & rationem ſuam exponendi per uocem. Tantumq; uocis diſcrepantiam iniecit, ut ab opere diis aduerſis incœpto deſiſterent, & nota cenſoria imprimeretur ſempiternæ memoriæ iis, qui conſpirauerant contra diuinã ſententiam, quæ iuſſerat homines multiplicari, & implere omnes partes mundi habitabilis. Quum iſti contrà ſuperbe & temere & planè impie molirentur urbem & turrim, quibus ſibi nomen compararent, & non diſpergerẽtur in diuerſas regiones. Itaq; homines euaſerunt μέροπες, ut poetæ uocant, quaſi diuiſam linguam & ſermonem habentes, quum cæteræ animantes una communi uoce in toto genere utantur. Vt leo rugiat, equus hinniat, canis baubet, ciconia gloteret.

Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada:
    Bombilat ore legens munera mellis apes.
Ecce uenenoſus ſerpendo ſibilat anguis:
    Garrula limoſis rana coaxat aquis.

Vnus homo, qui prima origine unicum ſermonis modum, ut etiam unam rationem acceperat, tot ſonis diſcrepantibus utitur, eſtq; unum genus mortalium diuiſum in plurimas linguas, populos & nationes. Cæterum quia ratio una communis omnibus eſt, unusq; finis ſermonis, nimirum explicare ac foras proferre mentem & rationem, una erit utiq; ratio communis diſcendi, docẽdi, interpretandi, ſcribendi quamlibet linguam ſeu Romanam, ſeu Scythicam, ſeu Gaditanam, ſeu Indianam. Quid dicam de ratione harmoniaca, & muſicorum arte, quę tot uoces longas, breues,

acutas,

uentione colligit animi diuinitatem, eſſeq́ꝫ naturã multo præſtantiorem, q̃ ſit quicquam concretum corpori. Sic enim ait: Quid illa uis, quæ tandem eſt, quæ inueſtigat occulta? quæ inuentio atq́ꝫ excogitatio dicitur. Ex hac ne tibi terrena mortaliq́ꝫ natura & caduca concreta ea uidetur? Aut qui primus, quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ uiſum eſt, omnib. rebus impoſuit nomina: aut qui diſſipatos homines congregauit, & ad ſocietatem uitæ conuocauit: aut qui ſonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis literarum notis terminauit? Quod munus à deo traditũ mortalibus, omnes uiri ſapientes & iudicio atq́ꝫ uirtute prædití, admiratione & ſumma gratitudine animi proſecuti ſunt. Quid enim illa ſcribẽdi maieſtas, ut Cælij Rhodigini uerbis utar, quæ tantarũ rerum ſcientiam nobis comparat, uetuſtatem propagat, nil ſinit interire: & quod omnia cõterit tempus, noſtris cogit manibus ſuccumbere? Quid hoc magnificentius? quid æque mirandum? id eſſe homini datum, in quod ne mortis quidem auida rapacitas ius ullum habeat? Quid tot tantarumq́ꝫ legum contexta uolumina, quam demum ciuilioris uitæ præferunt eminentiam? Quid dictorum conuentorumq́ꝫ publicis tabulis comprehẽſa fides aduerſus ingeniorum prauitatem? Auſim dicere ſeiunctis manibus fuiſſe non inermes modo nos futuros, ſed uel brutis infeliciores. Quem enim uſum rationis habeat lumen illud diuinũ omni ope deſtitutum? Hinc recte mihi feciſſe uidentur, qui rationis ac ſapientiæ miniſtras eſſe manus pronunciarunt. Hæc Cælius in quarto libro antiquarum lectionum ſapientiſſime pronunciat. Contrà uero belluæ immanis uox eſt, quòd Licinius imperator & nominis Chriſtiani perſecutor, literas dixit uirus & publicam peſtem. Id enim de ipſo memoriæ prodidit Sextus Aurelius Victor. Proinde acute illos iudicium de literis feciſſe puto, qui referunt earum ortum ad cœleſtem naturam & diuinam, ut fecerũt Pythagoras, Plato, Cicero. Ebræi quoq́ꝫ figuras literarum ſuarum in cœlo ſyderum poſitu & ordine monſtratas aſſerunt, quemadmodum & Græci dekoton ſuum. Palimedes etiam, qui reperiſſe quatuor Græcorũ literas perhibetur, inuentum ſuum ad deos retulit. Quum enim obijceretur ei, literas illas Θ Ξ Φ Χ monſtratas à gruibus, nõ ab eo excogitatas eſſe, reſpondit, Philoſtrato teſte: ἐγὼ γράμματα οὐχ εὗρον, ἀλλ' ὑπ' αὐτῶν εὑρέθην. πάλαι γὰρ ταῦτα ἐν μουσῶν οἴκῳ κείμενα ἐδεῖτο ἀνδρὸς τοιοῦδε, θεοὶ δὲ τὰ τοιαῦτα δι' ἀνδρῶν σοφῶν ἀναφαίνουσι, γέρανοι

 μὲν οὖν οὐ μεταποιοῦνται γραμμάτων, ἀλλὰ τάξιν ἐπαινοῦσαι πέτωνται, πορεύονται γὰρ ἐς λιβύην ξυνάψουσαι μικροῖς ἀνθρώποις. Quæ Nicolaus Perottus hiſce Latinis uerbis trāſtulit: Ego literas non inueni, ſed ab ipſis inuentus ſum. Nam cum iam diu in ædibus muſarum la tuiſſent, eiuſmodi uiro egebāt. Dij enim talia per ſapientes uiros in lucem proferunt. Grues quidem literas neſciunt, ſed ordinem probantes uolitant, dū aduerſus Pygmęos dimicaturę in Libyam tranſeunt. Plutarchus etiam in nono libro conuiualium quæſtio- num docet Mercurium deum Aegyptijs literas à ſe illic inuentas tradidiſſe. De Cadmo autem loquens, qui ad Græcos attuliſſe li teras creditur, Phœnicibus adſcribit hoc inuentum, ut plerıq; alij fecerunt: Phœnices autem Ebræos intelligere uidetur. Quum e- nim quęſtio mota eſſet, cur alpha primum locum obtineat inter li teras, Ammonius introducit hiſce uerbis prouocans Plutarchum Cheroneum ad diſputationē: οὐδὲν σὺ τῷ κάδμῳ βοηθεῖς ὁ βοιώτιος, ὃν φασι τὸ ἄλφα πάντων προτάξαι διὰ τὸ φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν; Nihil ne, inquit, auxilij adfers Cadmo, cum ſis Bœotius, quem aiunt propterea primo loco collocaſſe literam alpha, quia Phœni ces ita uocant bouem, quem non ſecundo aut tertio loco inter neceſſarias res ponere uoluit, ut Heſiodus, ſed primo. Ebræi aūt aluph bouem nominãt. Cyprianus martyr tractatu quarto de ido lorum uanitate ita ſcribit: Antrum Iouis in Creta uiſitur, & ſepul chrum eius oſtenditur, & ab eo Saturnum fugatum eſſe, manife ſtum eſt. Inde Latinum de latebra eius nomen accepit. Hic literas imprimere, hic ſignare numos in Italia primus inſtituit. Inde æra- rium Saturni uocitatur. Hoc plusq; humanum inuentum multi adſcribunt Phœnicibus. De quibus Lucanus ait:

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi,
Manſuram rudibus uocem ſignare figuris.

Cui adſtipulatur Plinius libro 5. hiſtoriæ naturalis inquiens: Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inuentionis, & ſyde- rum, naualiumq; ac bellicarum artium. Et rurſum lib. 7. cap. 56. Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe. Sed alij apud Aegyptios à Mercurio, ut Gellius, alij apud Syros repertas uolunt. Vtiq; in Græciam intuliſſe è Phœnice Cadmum XVI. numero. Quibus Troiano bello Palemedem adiecıſſe quatuor hac figura Θ Ξ Φ Χ. Totidem poſt eum Simonidē melicum Ζ Η Ψ Ω. Quarū omnium uis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles XVIII. priſcas fuiſſe α β

γ δ ε ζ ι κ λ μ ν ο π ρ σ τ υ φ, & duas ab Epicharmo additas θ χ, quàm à Palamede mauult. Anticlides in Aegypto inueniſſe quendam nomine Menona, tradit X V. annis ante Phoroneũ antiquiſſimum Græciæ regem, idq; monumentis approbare conatur. E diuerſo Epigenes apud Babylonios D C C X X. annorũ obſeruationes ſyderũ coctilibus laterculis inſcriptas docet, grauis author in primis: qui minimũ, Beroſus & Critodemus C C C C L X X X. annorum. Ex quo apparet æternus literarum uſus. In Latium eas attulerunt Pelaſgi. Ac poſtea cap. 57. Gentium conſenſus tacitus primus omnium conſpirauit, ut Ionum literis uterentur. Et capite inſequenti: Veteres Græcas fuiſſe eaſdem penè, quæ nũc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris: quę eſt hodie in palatio, dono principum Mineruæ dicata in bibliotheca, cum inſcriptione tali: Ναυσικράτης τισαμένου Αθηναῖος ἀνέθηκεν. In dialogo Platonis, qui Phædrus inſcribitur, Socrates narrat ſe audiuiſſe deum quendam coli apud Aegyptios, Theuth nomine, qui tum alias artes, tum literas inuenerit, easq; tradiderit Aegyptijs, quo tempore Thamus uniuerſę Aegypti regnum tenuit. Ac rege quidem ſciſcitanti ex Theuth ceu parente literarum, ecquam utilitatem eſſent literæ allaturæ, ad hunc modum reſpondiſſe: τοῦτο δὲ ὦ βασιλεῦ τὸ μάθημα Αἰγυπτίους σοφωτέρους καὶ μνημονικωτέρους παρέξει. μνήμης γὰρ καὶ σοφίας φάρμακον ἐυρέθη. Quæ uerba Latinis uerbis hanc ſententiã reddunt: Illa uero doctrina, ô rex, Aegyptios reddet ſapientiores, magisq; pollentes memoria. Nam ſapientiæ atq; memoriæ quoddam medicamentum repertum eſt. Eundem literarum inuentorem Theuth monſtrat Plato in Philebo, quaq; ratione animaduerterit ac redegerit obſeruationes ſuas in artem grammaticam. Philo Biblius Sanchoniatonis Berutij, qui temporibus Semiramidis res Phœnicum ſcripſit, Græcus interpres, Euſebio teſte, ita ſcripſit: Sanchoniato uir peritiſſimus atq; curioſiſſimus fuit, is cum nihil omniũ, quæ ab initio facta ſunt memoratu digna, ignoraſſe uideatur, diligentius tamen ꝙ cætera ea quæſiuit, quę Thaatus excogitauit. Non enim latebat ipſum, quòd primus omnium mortalium Thaatus literas adinuenit, & res memorabiles auſus eſt æternitati commendare. Quem Aegyptij Thoyth, Alexandrini Thoth, Græci Mercuriũ appellarunt. Diodorus Siculus de origine rerum humanarũ ita loquitur: Quum ſonus oris cõfuſus eſſet, paulatim uocem diſcreuiſſe aiunt, & res

 omnes ſuo nomine appellaſſe. Verum quum diuerſis ſiti eſſent in orbis locis, non eiſdem uſos uerbis ferunt, & propterea diuerſos literarum characteres extitiſſe. In ſecundo libro de geſtis antiquorum docet Aegyptios ſibi arrogare inuentionem literarum. D. Auguſtinus quæſtione 69. exodi, qui nam ſint γραμμάτων εἰσαγωγεῖς: ita enim uocem ſchotrim, hoc eſt apparitores, interpretati ſunt Græci, nimirum doctores, qui introducant in literas, ita ſcribit: Hic ſanè ſignificatur, quòd ante legem datam habuerint Hebræi literas, quæ quando cœperint eſſe, neſcio, utrum ualeat indagari. Nonnullis enim uidetur à primis hominibus eas cœpiſſe & perductas eſſe ad Noë, atq; inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populũ Iſrael. Sed unde hoc probari poſſit ignoro. Suidas in uerbo ἀδὰμ conſiderans primi hominis perfectionem & eximiam ſapientiam, antequam ſeduceretur à cacodæmone, ita loquitur, nimirum reddens ueterum theologorum ſententiam & eccleſiæ: Adam primus homo dei manu effictus, atq; ad imaginẽ & ſimulachrum opificis & conditoris formatus, qui eum etiam honorem ſortitus eſt, ut paradiſum incoleret. Qui rectiſſime primus ſapiẽs appellabitur, ut primitiua effigies & imago ab ipſo deo deſcripta: ſiquidẽ omnibus dotibus copioſe adornatus fuit, ac ſenſoria omnia tum animi tum corporis pura & integra circũtulit. Et poſt laudes ampliſſimas primi conditoris hominũ ſubdit: Is igitur exiſtit, qui diſcreuit ſingula, omnibusq; appoſuit normas, & menſuras, & terminos minime reprehendendos. Huius ſunt artes & literæ: huius ſcientiæ rationales, & non adſtrictæ legibus rationis: huius prophetiæ, ſacri ritus, purgationes, leges ſcriptæ pariter & nõ ſcriptæ: huius deniq; ſunt omnia inuenta & diſciplinæ, & quæcunq; ad uitam atq; conuictum utilia ſunt & neceſſaria. Quam ſententiam ueterum ego ſanè amplector manibus ambabus. Primum quòd conſentiat hiſtoriæ uetuſtiſſimæ, ueluti Plinij, & eorum, qui Plinium anteceſſerunt aliquot ſeculis, qui ſempiternum uſum literarum indicant. Ioſephus quoq; Iudaicæ hiſtoriæ ſcriptor in primo libro antiquitatis Iudaicæ oſtendit Seth filiũ Adami & ipſius liberos literis inuentam à ſe aſtronomiam conſignaſſe, quas utiq; à protoplaſto Adamo acceperunt. Arabes quoq; theologiam & omnem ſcientiam referũt ad Seth filium Adami. Deinde conſentaneum eſt rationi, Adamum prolapſum in peccatũ per ſeductionem ſatanæ, moxq; reſtitutũ ex gratia diuina literis cogitationes

ſuas

ſuas, & rerum geſtarum memoriam depinxiſſe. Id cõgruit excellentiæ & dignitati hominis primi. Quem enim alium putemus illum deum aut diuinum hominem, ut Plato ait, qui literas primus inuenerit? Aut cui potius tribuamus illum diuinum animum, ut Ciceroni & Pythagoræ uiſum eſt, qui tot uocum diſcrimina reuocauit ad certas leges, quiꝗ elementa ſermonis humani aptis notis conſignauit, quàm illi ipſi Adamo, qui teſtimonio ſacræ hiſtoriæ omnibus rebus impoſuit aptiſſima nomina, quæ deus quoqꝫ probauit? Etenim quum uis rationis ampliſſima ſit, eaqꝫ ſe proferat, & ueniat ſub ſenſus tum uerbis tum operibus, mihi nullum apparet opus præſtantius humanæ rationis, quàm quod notis & ſignis literarum ſermonem, quo foras ſeſe profert, etiam ſeipſam depingit, ac deponit in librorum uelut arcas conſeruãdam, ac tranſponit ſeſe in alios animos, quorũ corpora tum locorum tum etiam temporũ interuallis maximis dirempta ſunt. Reperitqꝫ mens organum ſuæ naturæ conueniens, quo diuina & humana, corporata & corporis expertia, & ut ſemel dicam, quæcunqꝫ homo poteſt mente comprehendere, inſtrumento comprehendat, aliiſqꝫ ad percipiendum & iudicandum proponat. Cæterum opiniones eorum, qui uel ethnicis authoribus, uel Moſi, uel Abrahamo literas acceptas referunt, uel unum ſcriptum prophetæ Enoch, qui annis circiter DCCC. ante diluuium floruit, ſatis refutat. Libet etiam huc tranſcribere antiquos uerſiculos de literarum inuentoribus, quos Petrus Crinitus in peruetuſto codice bibliothecæ Septimanæ ſe reperiſſe teſtatur lib. 17. de honeſta diſciplina:

Moyſes primus Hebraicas exarauit literas.
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.
Abraham Syras & idem repperit Chaldaicas.
Iſis arte non minore protulit Aegyptias.
Gulfila prompſit Getarum, quas uidemus, ultimas.

Porrò de materia in qua ſcripſerunt ueteres, & inſtrumẽto, nonnihil perſtringamus. Vetuſtiſſimus ſcriptor Iob indicat morem ſui ſeculi, dum optat plumbeam tabulam & ſtilum, ut ſuas ærumnas queat depingere. Concio diuinæ maieſtatis in monte Sinai habita, etiam digito dei exarata fuit in tabulis lapideis. Quæ ſumma dignitas eſt & approbatio, & quaſi conſecratio literariæ picturæ. Scripturam enim picturam eſſe arguunt uerba Græca & La

tina, quia γραφὴ tam picturam ſignificat quàm ſcripturam, & literæ à lino, unde lineæ, quæ Græcis dicuntur γραμμαὶ, & ab eadem origine γράμματα, quaſi picturamenta, denominantur. Plicatili etiam materię literas inſcripſiſſe ueteres ueluti corio aut papyro, aut folijs arborum, aut cortici, aut panno, ut ligno aut ceræ, indicant uoluminum, & librorum, & chartarum, & foliorũ appellationes. De quibus lectu non indigna ſcripſit Alexander ab Alexandro genialium dierum libro ſecundo. Et Polydorus lib. 2. de inuentoribus rerum. Iudæi ſuperſtitioſam quoque obſeruationem ea in re oſtendunt in tractatu ſcribarum, uel ut ipſi dicunt in maſecheth ſophrim: ut gens illa in omnibus immodica eſt.

Porrò quum Ebraicæ literæ ſint principes, à quibus aliarum gentium & populorum literæ natæ & propagatæ ſunt, idque non obſcurè, ſi quis attentè inſpiciat formas ipſas, aliqua etiam adijciam, quo tempore tantum beneficium, & per quos homines ad alias gentes à familia Eber transfuſum ſit. Quum enim genus totum Adami uno ſermone uteretur, una etiam forma literarum fuit communis. At linguarũ pluralitate introducta, ſubijt etiam diuerſa ſcriptio. Et inter liberos quidem Cham præualuit Chanaan, à quo Phœnices deſcendũt. Quorum lingua & literarum formæ ad Ebræam accedũt proximè, nomine, forma, & ordine. Nam literarũ apud authores bonos, uelut Serapionem & alios, idẽ ordo, qui & ab ipſis Ebræis obſeruatur. Inter filios Iapeti præualuit Iauen, à quo Græci originem ducũt. Quorum itidem literæ conueniunt magna ex parte cum Ebræis, numero & ordine, & nominibus & poteſtate. Ab illis deflexerunt aliarum gentium literæ, quæ publico uſu tritæ ſunt, ueluti Latinorum à Græcis, itemque Sarmatarũ & Teutonorum. Serius tamen apud nonnullas barbaras nationes uſus ſcribendi increbuit. Sic enim ſcribit Aelianus libro octauo uariæ hiſtoriæ: τῶν ἀρχαίων φασὶ θρακῶν μηδένα ἐπίςασθαι γράμματα. ἀλλὰ καὶ ἐνόμιζον αἴσχιστον εἶναι πάντες οἱ τὴν Εὐρώπην οἰκοῦντες βάρβαροι χρῆσθαι γράμμασι. οἱ δὲ ἐν τῇ ἀσίᾳ, ὡς λόγος, ἐχρῶντο αὐτοῖς μᾶλλον. ἔνθεν καὶ τολμῶσι λέγειν, μηδὲ τὸν ὀρφέα σοφὸν γεγονέναι θρᾷκα ὄντα, ἀλλ᾽ ἄλλως τοὺς μύθους αὐτοῦ καταψεύσασθαι. ταῦτα Ἀνδροτίων λέγει, εἴτῳ πιςὸς ὑπὲρ τῆς ἀγραμματίας καὶ ἀπαιδευσίας θρᾳκῶν τεκμηριῶσαι. Ait Androtionem ſcribere de ignorantia literarum & diſciplinarum apud Thracas & alios barbaros, ueterum Thracum neminem literas nouiſſe. Quin omnes barbaros in Europa

uti

uti literis,probro ſibi duxiſſe. Magis tamen Aſiani, ſicut fertur, eis uſi ſunt. Vnde nonnulli audent dicere, Orphea non fuiſſe ſapientem,ſed alios ſinxiſſe ipſius fabulas. Herodotus de Cadmo, quem ferunt ad Græcos adtuliſſe literas, ita ſcribit in Terpſichore: Vt ego interrogando comperio, fuere Phœnices ex his, qui cum Cadmo in terram,quæ nunc uocatur Bœotia, uenere, atq; eam incoluere,ſortiti Tanagrycum tractum. Vnde Cadmæis primum per Argiuos exactis, iterum per Bœotios hi Zephyræi expulſi Athenas diuerterunt. Ab Athenienſibus recepti ſub conditionibus ſunt, ut ciues inter eos eſſent, multis necmemoratu dignis,quas agerēt rebus impoſitis. Phœnices iſti qui cum Cadmo aduenerunt,quorum Zephyræi fuerūt, dum hanc regionem incolūt,tum alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum uero literas: quæ apud Græcos, ut mihi uidetur, antea non fuerant. Et primę quidem illæ extiterunt, quibus omnes Phœnices utuntur. Progreſſu deinde temporis unà cum ſono mutauerunt modulum priſtinum. Et cum ea tempeſtate in pleriſq; circa locis eorum accolæ Iones eſſent,qui literas à Phœnicibus diſcendo acceperant, eas illi cum ſuis pauculis collocantes in uſu habuerūt, & in utendo confeſſi ſunt,ut ratio ferebat,uocari Phœnices,quia eſſent à Phœnicibus in Græciam illatę. Priſcaq; conſuetudine biblos appellant pelles, quod aliquando penuria librorum, hoc eſt ſcirporum,pellibus caprinis ouillisq; utebantur. Adhuc quoque ad meam uſq; memoriam, multi barbarorum talibus in pellibus ſcribunt.Quin ipſe uidi apud Thebas Bœotias in Iſmenij Apollinis templo literas Cadmæas in tripodibus quibuſdam inciſas,magna ex parte conſimiles Ionicis. Diodorus in ſexto libro antiquitatum errorem Græciæ dicit,quia inuentionem literarum tribuit Cadmo Agenoris filio, qui primus literas in Græciā attulit poſt diluuium illud,quo literarum quoq; monumenta ſunt abolita.

Quo tempore autem literæ allatæ ſint in Italiam, ante indicatum eſt uerbis Plinij.Quibus paucula hęc adijciam ex primo libro antiquitatum Romanarum Dionyſij Halicarnaſſæi, poſt Pelaſgos annis circiter ſexaginta ante res Troianas Arcadas aliquot Euandro duce ueniſſe in Italiam,& condidiſſe palatiū, & Græcarum literarum uſum,quæ paulò ante apud Arcadas apparuerant, primos in Italiam attuliſſe. Sunt qui dicant Carmentam literarū formas duntaxat immutaſſe. Aliqui Herculem à Faliſcis intuliſſe li-

 teras Italiæ dicunt, ut Victorinus teſtatur. T. Liuius libro ſexto ab urbe condita: Quæ à condita urbe Roma ad captam eandem urbem Romani geſſere, quinq; libris expoſui, res cum uetuſtate nimia obſcuras, uelut quæ magno ex interuallo loci uix cernuntur, tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuere: una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum. Corn. Tacitus de Germanis: Celebrāt Tuiſtonem & Mannū eius filium originem gentis, carminibus antiquis: quod unum apud eos memoriæ & annalium genus eſt. De Gothis & Francis in linguarum enumeratione diximus. Cæterum ante annos ſexcentos Turcæ literas Arabicas unà cum Saracenorum religione amplexi ſunt: & longè poſt illos idem fecerunt Tartari. Noſtra uero ætate cœpit demum ſermo Hungaricus literis conſignari.

De mutatione linguarum.

LInguam Græcam & Latinam etiam eo tempore, quo maxime uiguerunt, mutationem inſignem habuiſſe, arguunt tot artis grammaticæ atq; rhetoricæ uocabula, ut Latinitas, Helleniſmus, barbaralexis, ſolœciſmus, archaiſmus: & peregrina, noua, nouata, antiqua, priſca, obſoleta, obliuiaq; uerba. Conſtituuntur etiam ueluti ſecula quædam ſermonis, ut ſpectetur alius ſermo Latinus temporibus Catonis maioris aut Ennij, alius Ciceronis & C. Cęſaris ætate, alius Plinij & Quintiliani temporibus. Quot modis autem & quibus de cauſis id accidat, alibi commodius dicetur. Hic tantū aliqua ex bonis authoribus apponētur, ex quibus ea mutatio linguarum melius perpendi queat.

Horatius quidem præclare id oſtendit hiſce uerſibus in arte poëtica:

In uerbis etiam tenuis, cautusq; ſerendis.
Dixeris egregie, notum ſi callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum, ſi fortè neceſſe eſt
Indicijs monſtrare recentibus abdita rerum.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget: dabiturq; licentia ſumpta pudenter.
Et noua fictaq; nuper habebunt uerba fidem, ſi
Græco fonte cadant parce detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus ademptum

Virgilio Varioq́;? Ego cur, acquirere pauca
Si poſſum, inuideor? Cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? Licuit, ſemperq́; licebit
Signatum præſente nota producere nomen.
Vt ſyluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita uerborum uetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modò nata uigentq́;.
Debemur morti nos noſtraq́;.

Et paulò poſt: Mortalia facta peribunt.
Nedum ſermonum ſtet honos & gratia uiuax.
Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentq́;,
Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & uis, & norma loquendi.

Fabius quoq́; loquens de ſchematis libro nono inſtitutionum rhetoricarum inquit: Si antiquum ſermonem noſtro comparemus, penè iam quicquid loquimur, figura eſt. Vt hanc rem inuidere, non ut omnes ueteres & Cicero præcipue, ſed huic: Et illi incumbere, non illum: & plenum uino, non uini: & huic, & non hunc adulari iam dicitur. Et mille alia: utinamq́; non peiora uincant. Sed eiuſmodi argumẽtis mutati ſermonis Latini pleni ſunt commentarij grammaticorum. Polybius quoq́; Megalopolitanus, qui ſummam laudem in hiſtoria Romana merito cõſecutus eſt, mirificam uiciſſitudinem Romani ſermonis oſtendit à tempore primorum conſulum uſq́; ad Scipionem Aphricanum, cuius doctor fuit. Sic enim ſcribit libro tertio: τηλικαῦτα γὰρ ἡ διάφορα γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ ῥωμαίοις τοῖς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν. Tanta, inquit, etiam apud Romanos ſermonis uarietas accidit, ſi quis pręſentẽ ſermonem cum ueteri compararet, ut uix quædã etiam ſumma intelligentia præditi attentione adhibita poſſint diſcernere. Dignũ quoq́; lectione eſt caput tertium libri tertij Petri Criniti de honeſta diſciplina, quo idiomatum genera quatuor oſtendit in Latina lingua, puta linguam priſcam, Latinam, Romanã, mixtam: idq́; ex Varronis traditione.

De mutatione autẽ Græcę linguæ, nihil breuius & melius tradi à me in præſentiarũ poteſt, q̃ ut apponam undequaq́; doctiſſimi Varronis iudicium ex primo libro noctium Atticarum Auli

Græcæ linguæ mutatio.

Gellij,totumq́ caput 18. ad literam ſubijciam, ne fraudem lecto-
res iudicio ſummi uiri. In quartodecimo rerum diuinarum libro
M. Varro doctiſſimũ tunc ciuitatis hominem L. Lælium erraſſe
oſtendit,quòd uocabulum Grȩcum uetus traductũ in linguam
Romanã pro meraco, & quaſi à ſe primitus Latine fictum eſſet,
reſoluit in uoces Latinas ratione etymologica falſa. Verba ipſa
ſuper ea re Varronis poſuimus. In quo Lælius noſter literis orna
tiſſimus memoria noſtra errauit aliquoties. Nã aliquot uerborũ
antiquorũ Grȩcorũ perinde atq́ eſſent propria noſtra, reddidit
cauſas falſas. Nõ enim leporẽ dicimus, ut ait, q́ eſt leuipes, ſed q́
eſt uocabulũ antiquum Græcum. Multa enim uetera illorũ igno
rantur,quòd pro illis, alijs nunc uocabulis utuntur, & illorũ eſſe
plerių ignorent Græcum,quod nunc nominant ἕλλωνα: puteum
eſſe,quod uocant φρέαρ: leporem quod λαγωὸν dicũt. In quo non
modo Lælij ingenium non reprehẽdo, ſed induſtriam laudo. Suc
ceſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur. Hæc Varro in
primore libro ſcripſit, de ratione uocabulorum ſcitiſſime, de uſu
utriuſq́ linguæ peritiſſime, de ipſo Lælio clementiſſime. Sed in
poſteriore eiuſdem libri parte dicit, furem ex eo dictum, quòd ue
teres Romani furuum atrum appellauerint, & fures per noctem,
quæ atra ſit, facilius furentur. Nonne ſic uidetur Varro de fure
erraſſe, tanquam Lælius de lepore? Nam quòd Græcis nunc κλέ
πτης dicitur, antiquiore Græca lingua φῶρ eſt dictum. Hinc per
affinitatem literarum, qui φὼρ Græcè eſt, Latinè fur. Sed ea res fu
gerit ne tunc Varronis memoriam, an contrà aptius & cohȩren
tius putarit furem à furuo, id eſt nigro, appellari, in hac re de uiro
tam excellentis doctrinæ, non meum eſt iudicium.

Germanicæ linguæ mutatio.

Germanicæ linguæ mutationem optimum fuerit ex libris do-
ctiſſimi uiri Ioannis Tritemij oſtendere, qui ad hunc modum ſcri
bit in præfatione tertij libri de polygraphia: Vſus loquendi non
regulatus quantum apud ſolos Teutonicos in ſexcentis annis ſit
uariatus, nemo cito æſtimabit, qui Otfridũ Vuisburgenſem mo
nachum in carminibus linguæ Germanicæ ſæpius non relegit.
Mare fluit & refluit: homines ſemel morientes non amplius præ-
ſentem reuertuntur ad uitam. Succedunt moribus mores, & ſem
per ad molliora uigor animorum mortalium decidit. Quis hodie
apud Græcorum priſcos æmulatores Germanos antiquam idio
matum tenet notitiam? Chronicis & ueterũ hiſtorijs Francorum
Hunibaldus,

Hunibaldus, Doracus, & reliqui ſcriptores, qui annis nos mille præceſſerunt, multa & carmine priſco, & proſa ſermonis Teutonici ſuis ſynthematibus dicta miſcuerunt: quæ hodie intelligũtur à paucis. Quid loquor de temporibus antiquis, cum propriũ idioma noſtrum apud Francos orientales, Sueuos, Bauaros, Rhenenſes, Moſellanos, Colonienſes, Saxones & Toringos notabilẽ uariationem quotidie ſuſcipiat? Mutantur in tempore homines, uariantur & mores: mutãtur animi, uariantur & ueſtes: linguarum alteratur ſimplicitas, & priſca uariatur idiomatum proprietas, & nihil ſtabile reperitur in humanis. Omnium enim uiciſſitudo eſt rerum, & ſuccedit uarietas ſimplicitati animorum. Quis defluentiam hanc, ut ita loquar, perpetuam ad concordiam poterit reducere unitatis? Tranſeunt enim tempora plura, ut ſcriptura dicit, & multiplex erit ſcientia. Beatus Rhenanus ponit uerſiculos Francicæ linguæ in ſecundo libro Germanicarum rerum, quos ſcriptos eſſe primo tempore, ut Franci nomen Chriſto dedere, colligit non leuibus coniecturis, qui non parum diſcrepant ab uſitata hodie loquendi conſuetudine. Ex quibus non pigebit aliquos adſcribere, ſi quis requirat forte: loquuntur autem de uirtute ueterum Francorum.

Sie ſint ſo ſama kuani
Selpſo thio Romani.
Nu darf man thaz ouch redino
Thaz Kriachi nith es uuida ron.
Zi uuafane ſnelle
So ſint thie thegan alle.

Quæ hodie oratione proſa hunc ad modum efferrentur.

Sy ſind allſamt ſo küñ
Als die Römer ſelb.
Nun darff man das ouch reden/
Das es die Griechen nit widerſprächend.
Zun waffen ſchnelle
Sind die helden alle.

Legi etiam uetus inſtrumentum uerſibus Germanicis redditum à Rodolfo quodã oriundo ex familia, quæ nomen habet ab eminente arce in Rhetia, quam uulgus nominat hohen Ems, idq; rogatu & iuſſu regis Chonradi, filij Fridrichi ſecundi Cæſaris Auguſti: qui uerſus orthographia, uerbis, inflectione, ſtructura,

modoq́ carminis diſcrepant à præſenti conſuetudine. Id quod uno exemplo perſtringam, nam de fide Gabaonitis à Ioſue & cæteris Iſraelitis data, ſic canit:

Swel man den ban Gott breche
Das man es an jm reche.

Pro illo, quod ſermo nunc uſitatus diceret:

Welcher mañ denn Gottes ban brách
Das man es an jm billich ràch.

Ebraicæ linguæ mutatio. Ebræorum quoq́ ſermo temporibus & locis euariauit tum etiam, quum eloquium diuinum apud eam gentem celebre eſſet. Quemadmodum Samuelis temporibus Hoſeh uidens nominabatur, qui poſtea frequentiori nomine dictus eſt nabi, hoc eſt, propheta. Et aliter Ephraimita profert nomen Ebraicum, quod ſpicam ſonat, aliter Galaadita, ceu legimus in hiſtoria iudicum 12. capite. Ad hæc non obſcure diuerſum genus ſcribendi & loquendi fuit ætate Iob & Moſis, itemq́ prophetarũ Eſaiæ & æqualium, nec non Danielis & Ezræ.

Spectatur autem uarietas illa & mutatio ſingulorum idiomatum in omnibus illis, in quibus poſita eſt proprietas, uis, elegãtia, opes atq́ copiæ, uirtutes, uitia, & omnes qualitates ſermonis atq́ linguarum. Præcipue quidem in uerbis, ut paulò ante ex poëta Flacco, & Aulo Gellio adductis exemplis indicauimus, leporem & φάγρα priſcę linguę Græca fuiſſe uocabula. Cuius generis eſt, q̃d Ariſtoteles primus appellauit σελάχη, animalia aquatilia, quæ pro ſpina cartilaginem habent. Et rurſum mintha, quod Græcis etiam priſcis mentham portendit, abolitum eſt nouo introducto, nempe hedyoſmos, ut Plinius docet. Sic non modo ætate Donati, ſed etiam Terentij poëtæ antiquum uerbum fuit actutum pro ſtatim. Et caſcus pro uetulo, & creperum bellũ pro dubio. Rurſum Plinius cartilaginea interpretatur ea, quæ Ariſtoteles uocauit ſelache. Aliter enim non potuit. Cuius generis multa occurrunt in ſcriptis Sidonij Apollinaris, & in primis Apulei Maudarenſis. Quanquam ne Saluſtius quidem effugit notam nouatoris uerborũ. Ita Germanis nũc ſunt priſca & abolita, alder an proauus, degen ſtrenuus, wigand heros. Et noua ſubinde naſcuntur. Spectatur etiam in affectione uocũ, puta in mutatione generis, declinationis, deriuationis, compoſitionis & ſimilium. Vt rapſeris pro rapias uel rapueris, ſepelibo pro ſepeliam, gladiola pro

(margin: λέπορι; Varro.)

gladio.

gladiolus. Cuius modi multa collegit Nonius Marcellus. In ſyllabis quoq; ſpectatur accẽtus mutatio, additio uel adiectio ſyllabarũ. Spectatur etiã in elementis, ut olli pro illi priſci dixerũt. Nec non in formulis dicendi, & quidem pręcipue, ut antea ex Fabio Quintiliano indicatum eſt. Cuius generis ſunt, quæ Saluſtius inſolẽter protulit, ductare exercitum, patrare bellum. Poſtremo in iunctura, numeris, copia, figuris, tropis, & toto genere dicẽdi ſpectatur. Vnde in Græca lingua utentibus tria illa celeberrima orationis genera obſeruata ſunt, Atticum, Aſianum, & Rhodium. De quibus operæpretium fuerit audire Quintiliani iudicium, qui lib. 12. de genere dicendi ita ſcribit: Et antiqua quidem illa diuiſio inter Atticos atq; Aſianos fuit, cum ij preſſi & integri, contra inflati illi & inanes haberentur. In his nihil ſuperflueret, illis iudicium maxime ac modus deeſſet. Quod quidam, quorum & Sanctra eſt, hoc putant accidiſſe, quòd paulatim ſermone Gręco in proximas Aſiæ ciuitates influente, nondum ſatis periti loquendi facundiam concupierunt. Ideoq; ea, quæ proprie ſignari poterant, circuitu cœperint enũciare, ac deinde in eo perſeuerauerint. Mihi autem orationis differentiam feciſſe, & dicentium & audientium naturę uidentur: quod Attici limati quidẽ & emuncti nihil inane aut redundãs ferebãt. Aſiana gens, tumidior alioquin & iactantior, uaniore etiam dicendi gloria inflata eſt. Tertium mox, qui hæc diuidebant, adiecerũt genus Rhodium, quod uelut medium eſſe atq; ex utroq; miſtum uolunt. Neq; enim Attice preſſi, neq; Aſiane ſunt abundantes: ut aliquid habere uideantur gentis, aliquid authoris. Aeſchines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo ſtudia Athenarum, quæ uelut ſata quædam cœlo terraq; degenerant, ſaporem illum Atticum peregrino miſcuerunt. Lenti ergo quidam ac remiſſi, non ſine pondere tamen, neq; fontibus puris, neq; torrentibus turbidis, ſed lenibus ſtagnis ſimiles habẽtur. Hactenus Quintilianus. Rurſum nihil celebrius eſt, q̃ Laconica breuitas in dicendo & ſcribendo.

Cauſæ mutationis linguarum.

CAuſæ uero de quibus ſermo uariatur, multæ ſunt. Diuiſionis quidem uniuerſalis, ut una lingua toti mortalium generi communis per annos M. D C C. & amplius à primordio rerum ad

extructionem Babylonis, ſcinderetur in tot ſermones diſcretos, author eſt deus,ut hiſtoriæ probatæ monſtrant, & ratio facile deprehendit. Nulla enim cauſa idonea apparet in functionibus & in toto ingenio hominis, ob quam uoluerint homines poſt inundationem reparati per tres filios Noë,dedita opera ſermonem uſitatum & ſeculis aliquot inter ipſos probatũ,totq; nominibus utilem & neceſſarium mutare, factoq; ſchiſmate grauiſſimo ſeſe priuare uitæ commercio. Deinde ſi maxime uoluiſſent plurimi ex illis mutare ſermonem tot ſeculis confirmatũ, & rationi atq; adeo naturæ ipſi maximè conſentaneum,nõ potuiſſent tamen conſentire uel in præformata quædam iam idiomata,puta ut Nimrod & Babylonici caperent ex illa ueluti ſortitione linguarum, Chaldaicam, Ion cum ſua prole Ionicam dialectum, Chanaan Punicam linguam,itemq; alij aliam. Nam LXXII.patriarchæ omniũ gentium & populorum, filij aut nepotes aut pronepotes Noë enumerantur. Eſt enim cernere ſtudium & acrem contentionem in populis imperioſis dilatandi ſuam linguam unà cum potentia & legibus,& rurſum alienas linguas in arctum contrahendi, aut penitus abolendi,ſi fieri poſſit. Angeli autẽ mali non potuerunt ſua ui eam uiciſſitudinem rebus humanis adeoq; animis inuehere,ut tot tamq; diſſonis uocibus hactenus cohabitantes,& membra unius populi ac ciuitatis,mentem ſuam exprimerẽt. Boni quidem angeli nec potuerunt nec uoluerunt ſine iuſſu atq; imperio dei hominibus cladẽ illam inferre. De cæteris autem naturis tam præditis anima,q; expertibus, quid attinet dicere,quę nullum habent acceſſum ad mentem hominis, niſi quatenus forma earũ per ſenſus accipitur? Conditor igitur atq; rerum opifex & architectus uel nutu ſimplici,uel angelorum opera,ut Origeni uiſum eſt,effecit ſermonis humani uarietatem,utq; hiſtoria ſacra loquitur,confudit labium ædificantium Babylonem.Oportet autem magnam fuiſſe cauſam,ob quam deus ſapientiſſimus idemq; optimus, qui omnia uerbo ſuæ potentiæ produxit & formauit, ut eſſent perfecta,poſt annos M.DCC. aliquid mutare uoluerit in opere longè præſtãtiſſimo, in homine condito ad imaginem & ſimilitudinem dei parentis omnium. Audiamus igitur, quid in campis Sennar inter ſe loquantur ore uno mutuum exhortantes ad ingens opus aggrediendum & perficiendum collatis uiribus & omnibus facultatibus. Venite, inquiunt, agite, faciamus nobis ciuitatem & turrim,

turrim, cuius culmen attingat cœlum, & celebre reddamus noſtrum nomen, ne diuidamur in uniuerſam terram. At quid dominus deus dixerat in rerum primordio? quæ fuit ipſius uoluntas? quod conſilium? quod imperium? Creſcite, ait, & multiplicamini, & replete terrã, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris & uolatilibus cœli, & uniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Et poſt diluuium, eadem repetit renouatq́ dominus: Vos autem creſcite & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, & implete eam. Ac poſtquam Chanaan minimus natu ex filijs Noæ ſumma contumelia parentem affeciſſet, Sem autem & Iapheth dedecus illius operuiſſent, cœleſti afflatu excitatus Noha reparator humani generis ſententiam diuinam tulit in filios, & præſaga mente fata eis ſua præcinuit ad hunc modum: Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorũ erit fratribus ſuis. Benedictus dominus deus Sem: ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq́ Chanaan ſeruus eius. Huic fato & decreto numinis præpotentis reluctantur Babylonicę molis conditores, ſuas rationes, conſilia, uolũtates, opem & omnem operam coniungentes aduerſus perfectiſſimam & ſupremam rationem diuinæ uoluntatis ac uerbi. Sed nequicquam repugnant conſilio domini exercituum, qui omnia inſpicit, omnia exaudit, omnia iudicat, omnia iuſtiſſimis modis gubernat. Quid enim in hiſtoria beati Moſis ſequitur? Deſcendit dominus, ut uideret ciuitatem & turrim, quam ædificabãt filij Adam, & dixit: Ecce unus eſt populus, & unum eſt labium omnibus: cœperũtq́ hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguã eorum, ut non audiat unuſquiſq́ uocem proximi ſui. Atq́ ita diuiſit eos dominus ex illo loco in uniuerſam terram, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco uocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi diſperſit eos dominus ſuper faciem cunctarum regionum. Deus ergo iuſtiſſimus & æquiſſimus iudex orbis uniuerſi, nefando ſceleri nõ unius hominis, ſed plurimorũ, ſed omniũ hominũ, paucis exceptis, pœnã grauem quidẽ illam ſed maxime dignã inflixit, & immanem præſumptionẽ, iniuſtam, ſuperbã, audaciſſimam conſpirationem edomuit, modum interim clementię adhibens in uindicta maximi ſceleris. Non enim fulmine deijcit inſanã iuxta & impiè meditatam extructionem: non terræ hiatu abſorberi iubet:

Gen. 1.

Gen. 9.

 non terræ motu euertit: non materiam lapidis & bituminis præri puit: non mutauit ullius rei naturam. Sed tantum rationi, cuius uis ampliſſima eſt, quaꝗ homines admiranda opera perficiunt, etiam maria & aërem ſuperantes, & in orbes cœleſtes penetrãtes, uincula & impedimenta iniecit, ut facultas percipiendi & dijudicandi res cuiuſcunqꝫ generis, eaqꝫ cõmunis & unica inter omnes populos, diuerſo tamen modo, alij prę ſtãtior, alij uero imbecillior, integra remãſerit: relictus ſit etiã ſermo, quo mẽs & cogitationes & uolũtas exprimunť uiciſſim, & percipiunť. Cęterũ ſermo fuſus & deriuatus eſt in multiplices formas loquẽdi, & ſingulares dialectos, ut uoces eædem uariè compoſitæ non idem omnibus ſignificent. Ita quidem Babylonici ædificatores coacti ſunt opus inchoatum aduerſis dijs & ſiniſtro auſpicio, deſerere: & ſempiterna iuſtæ damnationis nota impreſſa eſt hominibus in ea parte, qua cæteras animantes longe antecellunt, qua res ſuas omnes perficiũt, qua ad cognationem ſpiritualis naturæ pertinent. In quo iudicio inſigniter conſpicitur diuina tum potẽtia, tum ſapientia, tum bonitas & iuſtitia. Quia eripiendo facultatem hominibus coniũgendi rationes, conſilia, iudicia, & uoluntates ſuas, deus ſummam rationẽ adhibuit: ut ſimul homines mulctauerit pœna graui, quam meriti fuerunt, & opus manibus ſuis rectiſſime formatũ non deſtruxerit aut transformauerit, ſed in minima portione hominis uim numinis ſui inſuperabilem declarauerit, & remedium atque mitigationem & ſolatium pœnæ conceſſerit. Quantum enim ſit boni poſitum in linguæ communione, docet experientia: quum nihil ſit efficacius ad conciliandos homines comitate & affabilitate. Rurſum uidemus ſilentio dirimi amicitias, quæ ſempiternæ fore exiſtimabantur. In ueteri quoqꝫ prouerbio perſpicitur, quod memorat Amyclas tacendo pęriſſe. Et alio prouerbio dicuntur homines obſurdeſcere in aliena lingua. Oratores etiã diuini metum hoſtilem exaggerãt, minitantes hoſtẽ, cum quo non ſit commercium ſermonis. Sapienter omnino apoſtolus Paulus pronunciauit in epiſtola priori ad Corinthios: Si per linguam non ſignificantem ſermonẽ edideritis, quomodo intelligetur, quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Tam multa genera uocum ſunt in mundo, & nihil horum eſt mutum. Itaqꝫ ſi neſciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur in me barbarus. Nõ prætereundum eſt ſilentio etiam Aurelij Auguſtini iudiciũ, quod

profert

profert cap. 7. libri deciminoni de ciuitate dei, de ſociali uita loquens: Poſt ciuitatem uel urbem ſequitur orbis terræ, in quo tertium gradum ponunt ſocietatis humanæ incipientes à domo, atq; inde ad urbem, deinde ad orbem terræ progrediendo uenientes. In quo primum linguarum diuerſitas hominem alienat ab homine. Nam ſi duo ſibimet inuicem fiant obuiam, neq; præterire, ſed ſimul eſſe aliqua neceſſitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius, facilius ſibi animalia muta etiam diuerſi generis, q̃ illi, cũ ſint homines ambo, ſociantur. Quando enim quę ſentiunt, inter ſe communicare non poſſunt, propter ſolam linguarum diuerſitatem, nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ: ita ut libentius homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno. Cui adſtipulatur Plinius de uocis uſu loquens. Tanta, inquit, loquendi uarietas, ut externus alieno non ſit hominis uice. Cæterum ea pœna diuinæ iuſtitiæ ita eſt irrogata, ut animus retinuerit ſuas facultates & potentias omnes, intelligendi uim, rationem, memoriam, uoluntatem, relicta ſit etiam facultas deriuandi rationem & foras emittendi: relicta ſint organa uocis & ſermonis pulmo, latera & muſculi, arteria, palatum, guttur, lingua, dentes, labia & ſpiritus. In ſpiritu autem formando, & uelut in articulos diſtinguendo, uarietas uocum & diſcrepantia ſignificationum inflicta eſt. Cui rei dominus remedium conceſſit, ut unus plures diſcat linguas duce & magiſtra ratione, quam noua ſubinde gratia inexhauſtus fons omnium bonorum rigat & perfundit, ut medio ſermone interprete adhibito, rurſum iungãtur, qui Babylonica iſta confuſione longiſſime ſeparati fuerant. Id quod cõmodius etiam fit beneficio ſcripturę non tam inuento humano, quàm munere diuino. Qua ratione Moſes fons omnis ſapientiæ & ſcripta prophetarũ Ebraicorum non per ſolos LXX. interpretes peruenerũt ad Græcos, ſed multo tempore antea per alios interpretes diuina ſcripta peruenerunt tum ad Gręcos tum ad alias nationes etiã barbaras. Hodieq; libri ſacroſancti legũtur in omniũ propè nationũ linguis. Quod munus diuiniſſimũ uelle impedire, quid aliud eſt, q̃ odiſſe diuinas dotes & perſequi, & bellum gerere cum deo pluſquam Babylonicũ & Giganticum? Etenim Meſſias expectatio uniuerſarũ gentium ueniens in mundum, ut reſtitueret omnia, omniaq; reconciliaret, Iudæos, Græcos, Romanos, Scythas, alioſq; populos inter ſe, & cũ deo patre

Linguarũ donum.

 uniuerſos ſpiritus ſacri uinculo glutinaret: utq; gentes iunctas, in unum populũ ſanctũ, in unum regnũ, ciuitatem, domũ contrahe ret, ſuo ſibi cruore linguam Græcæ gentis & Romanæ, quæ ſapi entia & imperio alias præcelluerunt, cum lingua ueteri Ebræorũ in ara crucis litans pro uniuerſo mundo, conſecrauit. Quando impoſito titulo & cauſæ inſcriptione in caput domini Ieſu Naza reni declaratum eſt, illum ipſum eſſe omniũ gentium promiſſum & expectatũ ſeruatorem atq; monarcham, & ſummũ, æternum, ſanctiſſimum, optimum maximumq; pontificem. De quo Sopho
Soph. 3. nias luculento uaticinio præmonuit, dicens: Expecta me, dicit do minus, in die reſurrectionis meæ in futurũ, quia iudiciũ meum, ut congregem gentes, & colligam regna. Et effundam ſuper eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim ze li mei deuorabit omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen domini, & ſeruiant ei hume ro uno. Vltra flumina Aethiopiæ, inde ſupplices mei, filij diſperſo rum meorum deferent munus mihi. In die illa non confunderis ſuper cũctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me. Quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & nõ adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo. Et derelinquã in medio tui populum pauperem & egenum: & ſperabunt in no mine domini. Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatẽ, nec loquen tur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua doloſa. Quoniam ipſi paſcentur & accubabũt, & non erit qui exterreat. De quo ſacroſancto cõmercio linguæ & religionis Paulus etiam
Rom. 14. loquitur ad Romanos ſcribens, & ad Philippenſes, idq; uerbis
Philip. 2. Eſaiæ excellentiſſimi uatis. Nanq; de liberatione Iſraëlitarum ex
Eſa. 45. Babylone per Cyrum, & totius humani generis è tyrannide ſata næ per Chriſtum, loquens ita uaticinatur: Nunquid non ego do minus, & nõ eſt ultra deus abſq; me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines ter ræ: quia ego deus, & non eſt alius. In memetipſo iuraui. Egredie tur de ore meo iuſtitiæ uerbum, & non reuertetur: quia mihi cur uabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in domino di cet: Meæ ſunt iuſtitiæ & imperium. Ad eum uenient, & confun dentur omnes, qui repugnant ei. In dominò iuſtificabitur & lau
Mar. 16. dabitur omne ſemel Iſrael. Porrò dominus Chriſtus pollicetur credentibus in nomen ipſius, ut loquantur linguis nouis. Eiuſq;

rei fidē impleuit ampliſſime ſpiritu ſancto miſſo in diſcipulorum coetum. Nanq; legatos miſſurus ad reges & populos omniū linguarum & nationum, qui non Babylonas conderent, aut caperent ſibi regnorum & imperiorum ſedes, aut aliquid molirentur & machinarentur aduerſus ſcientiam dei: ſed pertraherēt orbem totum in conſenſionem religionis catholicæ, utq; conderent ciuitatem uiuentis ueriq; dei, cuius fundamentum & caput, & lapis angularis, & princeps eſt ipſe Chriſtus dominus gloriæ, inſtruxit eos ad eam rem percommode: non malleis, trulla, perpendiculo, ſecuri, ſerra: non gladio, pilo, ſariſſa, æneo tormento: ſed ſpiritu ſancto, ſed rerum diuinarum cognitione, ſed uitæ ſanctimonia, ſed omnigenis uirtutibus, ſed linguarum peritia. Itaq; dictu mirabile & ſtupendum, antea rudes & illiterati homines, quiq; in uernaculo ſermone propemodum infantes erant, ſubito loquuntur omnium populorū & gentium ſermone, apud quos facturi erant euangelij præconium. Initioq; facto Hieroſolymis urbe ſita in monte Zion, ut Eſaias & Micheas prædixerūt, Chriſtum annunciant dei filium & uerbum, & ſapientiam, & potentiam, & iuſtitiam ueniſſe in terras, conceptum è ſpiritu ſancto, natum ex uirgine de domo Dauid, mortuum in cruce, & reſurrexiſſe, & aſcendiſſe in coelos, unde uenturus ſit iudex uiuorū & mortuorum. Quemq; Iſraelitica eccleſia quondam audiuit concionantem in monte Sinai, totus mundus uelut in compendium contractus in Hieroſolyma, iam carne uera hominis indutum audit concionantem in monte Zion per apoſtolos: ut in illa multitudine, quæ ex orbe uniuerſo confluxerat, quiſq; audiret legatos Chriſti patrio ipſorum & uernaculo ſermone diſſerentes. Popoſcerūt quidem prima eccleſiæ Chriſtianæ tēpora opus illud miraculoſum & ſtupendum. Quod abūde conuincit linguarum notitiam organum eſſe tum utile tum neceſſarium Chriſtianæ reipublicæ conſeruandæ & amplificandæ, & donum eſſe minime leuiculum diuinæ munificentiæ. Quod apoſtolus Paulus in epiſtola priore ad Corinthios docet, eccleſia uero in ſolenni precatione confitetur ad hūc modum orans: Veni ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fideliū, & tui amoris ignem in eis accēde. Qui per diuerſitatē linguarū cunctarū gentes in unitatē fidei cōgregaſti. Quod primo ac pręcipue ſanctis uotis petendū eſt à coeleſti parente, à quo proficiſcitur, quicquid iure cenſetur titulo boni. Et non contemnen

Eſa. 2. *Mich. 4.*

da eſt doctrina & inſtitutio: & adiungendum ſtudium acre diligensꝗ exercitatio. Quæ tria ſi conueniant & conſpirent, ingenium uel mediocre & natura non prorſus diſtorta, deinde ars & præceptio,præterea uſus & exercitatio:perficietur in linguarum cognitione,quantum nemo credat ante experimenta. Quod uniuerſum ſolide referendum eſt ad ſuum authorem, qui donauit ingenium,animum,occaſionem,uires tolerandi laborem, & omnia,ut uno uerbo dicam. Vnde iure nihil uendicare nobis liceat, quàm rectum uſum,ſi ſtudeamus,ut filius Mariæ uirginis & dei uiui, in quo habitat omnis plenitudo ſapientiæ & diuinitatis corporaliter,uoce clariſſima prædicetur ubiꝗ gentium,& cognitus apprehēdatur ſyncera fide,& ſanctitate omnibusꝗ officijs Chriſtianæ charitatis exprimatur. Vt ſapiētia & uera cognitio rerum inuulgetur,ut ualeant bonæ leges,ut uigeat iuſtitia,ut conſtet inter homines alma ſanctaꝗ pax & humanitas. Quæ nam iſta eſt dementia? quis furor? ferro,& innumeris propè inſtrumentis ad perniciem generis humani excogitatis,ſi uerum dicere oportet, à ſatana & malo genio agitatis hominibus, mutuū perdere,idꝗ ob res leuiculas plerunꝗ? Habemus rationem effectricem operum uerè humanorum & cœleſtiū:habemus ſermonem, quo res atꝗ rationes moderate inter nos pertractemus: habemus linguam organum excellens,ſi ad finem ſuum aptetur: habemus calamum, ſtylum,chartā,quæ linguæ & ſermonis uicem impleant. Illis conferamus mutuum ſapientiam dei, & accipiamus oblatā candide. Chriſtus enim ſuffecerit abunde omnibus.Omnes ditare,omnes beare,omnes reges & pontifices,deniꝗ omnes cohæredes,& nō proreges,ſed cōſortes regni æterni ſui,& filios dei efficere poteſt, & ut ab eo accipiamus,unicè in uotis habet.Qui clariſſima uoce ad omnes populos clamat: Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis.Ego reficiā uos:et inuenietis animis ueſtris requiem.

Sunt & aliæ cauſæ plures, ob quas linguæ à prima diſcretæ in Babylone, longius etiam degenerare ſolent à ſua origine. Inter quas prima eſt,hominum & linguarum diuerſarum permixtio. Quemadmodum uariatio Ebraicæ linguæ,& Græcæ,& Latinę, & alijs pleriſꝗ accidit. De Ebraicis ex Hieronymo antea indicatum eſt,omnium propè linguarū idiomata uſurpare. Hodie quidem cernimus tractatores diuinæ ſcripturæ & thalmudicos,omnium gentium uti uocabulis. Quin Chaldaicorū etiam interpre

tum, qui thargumim uocant, ſermo, ut Onkeli & Ionathæ, admix
tionem uocum peregrinarũ habet. De Græcis unum exemplum appoſuiſſe hic ſuffecerit. Quum enim Solon Græcorum philoſo phorum facile princeps urbem in Cilicia condidiſſet à ſe denomi natam, & in eam, coloniam Athenienſem deduxiſſet, illi coloni paulatim ſynceritatem Attici ſermonis, admixtione aliarum lin guarum corruperunt, unde dicti ſunt σολοικίζειν. Quod nomen ſo lœciſmi translatũ eſt poſtea ad omnem uitioſe conſtructam ora tionem. De ſermone Latino idem innuit M. Cicero, ita ſcribens de claris oratoribus: Omnes tempore Lælij & Scipionis, qui nec extra urbem uixerant, nec eos aliqua domeſtica barbaries infu ſcauerat, recte loquebantur. Cæterum ſermo Latinus paulatim admiſit non modo plurima Græca, ſed etiam Gallica ut alauda, canthus, & Hiſpanica, ut maſtruca, & Britannica, ut eſſedum, & omnium adeo gentium aliqua uocabula, dum apud omnes mili tant. De hoc Fabius libro primo inſtitut. cap. 10. Peregrina ex om nibus propè dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam mul ta uenerunt. Rurſumq́ Latinus ſermo per gentium irruptiones in Rom. prouincias, confuſus & permixtus euaſit. Quod in ſer mone Germanico etiam contigit.

Altera cauſa eſt mutatio imperij & rerum, ut neceſſitas cogat aliquid innouare. De imperio quidem Auguſtinus ita loquitur li bro 19. de ciuitate dei: Opera data eſt, ut imperioſa ciuitas nõ ſo lum iugum, uerumetiam linguam ſuam domitis gentibus per pa cem ſocietatis imponeret: per quam non deeſſet, imò & abunda ret etiam interpretum copia. Quibus ſubiecit L. Viues ex Roma nis hiſtorijs: Curabant Romani, ut & in prouincijs plurimi Lati ne loquerentur, ita ut Hiſpanias & Gallias Latinas prorſum fece rint, ueteribus illarum gentium linguis abolitis. Et in ſenatu nul los audierunt legatos, niſi Latinè uerba facientes. Rem profecto conabantũ pulcherrimã, & toti humano generi utiliſſimã, q̃cunq; id ſine facerent, ut eſſet una aliqua lingua, qua ſe gentes omnes mutuo intelligerent. Cumanis quidẽ à populo Rom. tributũ eſt muneris loco, ut publice loquerentũ Latinè, et prĝconibus facultas eſſet Latinè uendendi auctionãdiq;. At cõtrà apud Carthaginen ſes decretũ fuit, ne quis Græcas literas aut idioma ediſceret, cũ ar cana illorũ linguę cõmercio & per occulta colloquia Dionyſio ꝓ dita intellexiſſent. Ita neceſſitas poſtulauit, uel aliena uſurpare,

 uel noua fingere, quum res nouæ inueherentur. Quod in ijs quę religionem attingunt, non raro accidit. Vlpianus etiam iuriſconſultus admonet, rerum natura inductum eſſe, ut plura ſint negotia quàm uocabula. Et Celſus præſcriptis uerbis agendum eſſe præcipit, quum deficiunt uulgaria & uſitata actionum nomina. Tullij ſententiam ſtatim ea de re apponam.

Tertia cauſa uideri poteſt inſtitutio & ſtudium, & æmulatio alicuius doctoris. Quemadmodum Aeſchines nouum genus dicēdi attulit Rhodijs. Eſtq; longe diuerſiſſima oratio theologorũ, qui ſe ad dictionem Scoti, & Alberti, & ſimilium authorum compoſuerunt, & eorum qui æmulantur Auguſtinũ, Hieronymum, Cyprianum, Ambroſium, & illos ueteres theologos. Aliterq; loquuntur & ſcribunt Apuleiani, aliter Ciceroniani.

Neceſſitatis pariter & diſciplinæ cenſeo, quòd profeſſiones ſuum quoddam genus orationis peculiare habent. Nam qui poëtam legit etiam bonum, tam longe animaduertit diſſidere ab oratione proſa, ut ſe putet in aliena dialecto uerſari. Et poëta inquit, Noſtri ſic rure loquuntur. Non alienum ab inſtituto erit, ſi M. Tullij uerba ex tertio libro de finibus bonorum & malorum huc trãſcripſero. Stoicorum, inquit, non ignoras, quàm ſit ſubtile uel ſpinoſum potius diſſerendi genus. Idq; quum Græcis tum magis nobis, quibus etiam uerba parienda ſunt, imponendaq; noua nouis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur: quum conſtituantur earum rerum uocabula, quæ in quaque arte uerſantur. Itaq; & dialectici & phyſici uerbis utuntur his, quæ ipſi ſcientiæ nota ſunt. Geometræ uero, muſici, grammatici etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſæ rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes atq; populares, uerbis tamen in docendo quaſi priuatis utuntur ac ſuis. Atq; ut omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidē tueri ſua artificia poſſent, niſi uocabulis uterētur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quin etiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiori elegantia, tamen eas res, in quibus uerſat̃, nominibus notauit nouis. Quo magis hoc philoſopho faciendum eſt. Ars eſt enim philoſophia uitæ, de qua diſſerens arripere uerba de foro non poteſt. Quanquã ex omnibus philoſophis ſtoici plurima nominauerũt. Zeno quoq; eorum princeps non tam rerum inuentor fuit, q̃ nouorum uerborum. Quod ſi in ea lingua quam pleriq; uberiorem putant, conceſſum

à Græcia

à Græcia eſt, ut doctiſſimi homines de rebus non peruulgatis, in uſitatis uerbis uterentur, quanto id uel nobis magis eſt concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Et ſi, quod ſæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non Græcorum modo, ſed eorum etiam, qui ſe Græcos magis quàm noſtros haberi uolunt, nos non modo non uinci à Græcis uerborum copia, ſed eſſe in ea etiam ſuperiores, elaborandum eſt, ut hoc non in noſtris ſolum artibus, ſed etiam in illorum ipſorum conſequamur. Quanquam ea uerba, quibus ex inſtituto ueterum utimur pro Latinis, ut ipſa philoſophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, muſica: quanquã Latine ea dici poterant, tamen quoniã uſu percepta ſunt, noſtra ducamus. Atq; hæc Cic. de rerũ nominib.

Adſerunt etiam mores & ingenia magnam uiciſſitudinem, ut ignauia & negligentia, ut leuitas, ut affectatio & inſolentia plurima in ſermone uulgari mutant. Sanctitas, inquit Fabius, & uirilitas à ueteribus petenda eſt, quando nos in omnia deliciarum uitia dicendi quoq; ratione deflexìmus.

Eſt quoq; genus ſermonis arcanum & myſteriodes ad occultanda ſecreta, ut in magicis, in amoribus, inter planos & errones, quod uulgus noſtrum uocat Rotwelſch: quod libris etiam editis quidam docuerunt. Sed iam de fece haurimus confuſionis Babylonicæ. Proinde ad literarum & ſcripturæ mutationem tranſeamus.

De *mutatione ſcripturæ.*

DE mutatione literarum in elementis antea nonnihil obiter annotauimus. Qui locus paulò copioſius explicãdus nunc uidetur, ut non modo de literis dicatur, ſed etiam de chalcographia & arcana ſcriptura per characteres & notas & ſymbola. In literis numerus, ordo, figura & poteſtas, nec non proſodia conſiderantur. Ebræorũ quidem literæ XXII. ſunt, quibus uetuſtiſſimi ſcriptores utuntur, Solomon, Dauid, Moſes, Iob, &c. Nomina quoq; antiquiſſima eſſe, quibus hodie utimur, aleph, beth, gimel, daleth, ex Hieronymo, & Origene, & alijs uetuſtiſſimis ſcriptoribus colligitur. Præterea ex Græcarum literarum nomenclatura, & Punicarum, quæ modice deflexis ijſdem utuntur nominibus. Ordinem quoq; per tot ſecula duraſſe, ut aleph ſit prima, thau ultima, & mediæ literæ itidem ſua quæq; loco poſita ſint, ar-

guunt Græci & Latini, qui ordinem eundem ſeruant, niſi quod addunt nonnullas literas, quaſdam uero prætermittunt. Arabes etiam eruditiores eundem ſeruant ordinem, & in numerãdo uulgus etiã. Ad hæc intelligitur ille ordo uetuſtus eſſe ex Ebræorũ, quæ ϛοιχηδὸν & ordine alphabetario ſcripta ſunt, carminibus. Cuius generis ſunt aliquot Pſalmi, ut CXVII. & threni Hieremiæ. Numerorum quoq; notæ ſunt literæ antiquo more, quod fieri non poſſet, niſi ordine certo & ſtabili conſtitutæ olim fuiſſent. Figuras literarum eſſe mutatas, ipſi Ebræi confitentur. Nam aſſerunt ſcripturam repertam in ripa Iordanis in ſtatua, cui nomina filiorum Iſrael inſcripta fuerunt, quum traijcerent Iordanem, ut legitur in commentario Ioſue. Quam ſcripturam tranſitus fluminis appellant. Eamq; ponit in ſuis grammaticis obſeruationibus Abraham à Balmis. Non admodum abludit forma literarum ab uſitatis hodie literis, ſi quis circulos qui apponuntur extremis lineis characterum adimat. Nec habent literæ quinq;, caph, mem, nun, pe, tzade diuerſas formas in fine dictionum. Habent etiam Iudæi antiquam ſcripturam, qua Moſes & prophetæ ſunt uſi, in arcanis ſuis: nec temere cuiuis reuelandam eſſe dicunt: Et literas, quibus hodie utimur, ab Eſra inuentas & traditas. Habent ſcripturam cœleſtem, habent ſcripturã angelorum, quas ponit Cornelius Agrippa libro tertio de occulta philoſophia. Quæ mihi apparent commenta hominũ deditorum magicis ludibrijs. Verum quia D. Hieronymus quoq; credidit literas Ebræorum antiquas mutatas eſſe per Eſdram, idq; à magnis uiris pro comperto accipitur, apponam unum & alterum dictum ſummi theologi. Nam in commentarijs ad Ezech. cap. 8. ait: Antiquis Hebræorum literis, quibus uſq; hodie utuntur Samaritani, extrema litera thau crucis habet ſimilitudinem. Et in præfatione appoſita hiſtorię regum: Viginti & duas literas eſſe apud Hebræos, Syrorum quoq; & Chaldæorum lingua teſtatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis eſt, nam & ipſi uigintiduo elementa habent eodem ſono, ſed diuerſis characteribus. Samaritani etiam pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certumq; eſt Eſdram ſcribam legiſq; doctorem poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem templi ſub Zorobabel alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur: cum ad illud uſq; tempus ijdem Samaritanorum & Hebręorũ characteres fuerint. In libro quoq;

nume

numerorum hæc eadem ſupputatio ſub leuitarũ ac ſacerdotum cenſu myſtice oſtenditur. Et nomen domini tetragrammaton in quibuſdam Græcis uoluminibus uſq; hodie antiquis expreſſum literis inuenimus. Sed & Pſalmi XXXVI. & CX. & CXVIII, & CXLIIII. quanquã diuerſo ſcribantur metro, tamen eiuſdem numeri texuntur alphabeto. Et Hieremiæ lamentationes & oratio eius. Salomonis quoq; in fine prouerbia ab eo loco, in quo ait; Mulierem fortem quis inueniet? eiſdem alphabetis uel inciſionibus ſupputantur. Porrò quinq; literæ duplices apud Hebræos ſunt, caph, mem, nun, phe, ſade. Aliter enim ſcribuntur per has principia, medietatesq; uerborum, aliter fines. Vnde & quinq; à pleriſq; libri duplices æſtimantur, Samuel, malachim, dibre haiomim, Eſdras, Hieremias cum cinoth, id eſt lamẽtationibus ſuis. Quomodo igitur uigintiduo elementa ſunt, per quæ ſcribimus Hebraice omne, quod loquimur, & eorum initijs uox humana comprehenditur, ita uigintiduo uolumina ſupputantur, quibus quaſi literis & exordijs in dei doctrina tenera adhuc & lactens uiri iuſti eruditur infantia. In quibus eruditiſſimi uiri dictis aliquot rationibus adſtruitur XXII. elementa eſſe Ebræorum, quod eſt omnino planum. Ad hæc aſſeuerat literarũ formas mutatas eſſe ab Eſdra, & quinq; literas duplici figura ſignari: poſtremo apicũ etiam meminit. De quibus quid ſentiam, & ratio adeo me ſentire cogat, aperiam copioſe in commentarijs de lingua Ebræa. Quin & hanc uarietatem obſeruaui in ſcriptura ueteri & uſitata, quod olim reliquæ dictionis literæ à calce uerſus tranſpoſitæ ſunt ad principium ſequẽtis uerſus: quemadmodum Arabibus illud moris eſt. Hodie uero ſi uerſus dictionem integram nõ recipiat, una & altera litera poſita, quæ ſpatium expleant, tota dictio ad caput ſequentis uerſus transfertur. De corrupta etiam pronunciatione linguæ Ebraicæ dicetur loco magis idoneo.

Ex Ebræorum literis, ut aliquoties iam diximus, deductæ ſunt publicæ omnium populorum & gentium literæ. Nam quas ſibi homines peculiariter comminiſcuntur, infinitum foret proſequi, & nulli homini conceſſum, & laboris parum utilis.

Placet itaque componere literas Ebræas, Phœnicias ſiue Arabicas, & Græcas, & Latinas, eo quidem modo, ut appareat oculis teſtibus, quatenus conueniant, aut quatenus tres literaturæ ortum habentes ex Ebræa, diſceſſerint à prima origine nu

 mero literarũ aut ordine, aut ſigura, aut etiam ſono & poteſtate. Primum Ebraicas literas ordine ſuo ponam, repetens etiam nomen literarum, quæ habent geminam poteſtatem, ut pe & phe. Eis ſubijciam Punicas literas, e quibus putant Gręcas natas eſſe, quum nomina Græca integriora ſint quàm Punica. Ordo quidem alphabeti, quod abuget eruditi Arabes uocant, idem eſt qui Ebræis. Quia uero quinq; præterea literas habent non figura ſed poteſtate, uelut he, che, dhel, thad, Gain, eas adiungam Ebraicis, quibus propinquæ ſunt. Characteres Arabicos effinxi ut potui, non bonus pingendi literas artifex. Satius ducens utcunq; indicare Phœnicũ literas promanaſſe ab Ebraicis, quàm eam rem prorſus ſilentio tranſmittere. Sunt igitur Arabicæ literæ optimæ, quæ ad Ebraicas proxime accedunt. Adieci etiam ueterem Græcorum literam hetha, quam poſteriores tribuerunt longæ uocali e, uocantes etha, ipſam uero aſpirationem notantes apiculo impoſito literis. Vau uel w Germanorum quoq; appoſuimus, quo aliquę nationes utuntur pro f uel uau conſonante. Primum igitur nomina ponentur literarum, mox figuræ.

Nomina literarum.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
Aleph	Beth	Gimel	Daleth	He	Vau uau	Zain	Heth	Teth	Iod	Caph Chaph
Eliph	be	ghim	del dhel	he	uau uel gau	ze	he che	te thdhe	ie	 cheph
Alpha	betha	gamma	delta	epſilon etha	ypſilon	zetha	hetha	theta	iota	kappa chi
A	be	ge	d	e	f u w	zet	ha	te	i	ce ka

12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
Lamed	Mem	Nun	Samech	Ain	Pe phe	Tzade	Kuph	Res	Schin ſin	Thau
Lem	mim ul'mum	nun	ſim	hain gain	phe	tzad thad	kaph	re	ſſin	the te
Lambda	mi	ni	ſigma	omicron omega	pi phi			rho	xi	tau
El	em	en	es	o	pe		q	r	ix	th

Literarum

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	
א	ב	ג	ד	ה	ו ȝ	ז	ח	ט	י	כך	Ebr.
ا ا	ب ب	ج ج	ذ	ط	و	ز	ح ح	ظ	ي ي	ك ك	Arab.
α	β	γ	δ	ε	υ	ζ	h	τ	ι	κ	Græc.
a	b	g	d	e	f	z	h	t	i	χ ck φ	Latin.
				uw							

12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	
ל	מם	נן	ס	ע	פף פ	צץ	ק	ר	ש שׁ	ת	Ebr.
ل ل	م م	ن ن	س	ع ع	ف	ص ض	ق	ر	ش	ت ث	Arab.
λ	μ	ν	σ	ο ω	π φ			ρ	ξ	θ	Græc.
l	m	n	s	o	p ph		q	r	x	th	Latin.

In quo diagrammate cernimus Ebræos duas duntaxat habere uocales præter a, quam habent geminam, aleph nimirũ & ain, quarum poſterior ita exprimitur, ut uox reſonet in gutture, perinde ac ſi gain pronũcietur. Pro i & e unica uocali contenti ſunt, ſicut & Romani ueteres literis i & e indifferenter ſunt uſi. Quod tum alij authores docent, tum Macrobius libro primo ſaturnal. cap. 4. Vau etiã pro u ſimul & o contenti ſunt. Quemadmodum aliquot Italiæ ciuitates, maxime Vmbri & Thuſci, non habuerũt o, ſed loco eius poſuerunt u, referente illud Priſciano ex Plinio. Aſpirationem duplicem habent, alteram tenuem, alteram denſiorem. Arabes triplicẽ, ſicut etiam Indiani. Schin quoq; literam peculiarem habent, quæ magis ſyllaba eſt, quàm litera ſeu elementum. Si enim Ariſtoteli ſyllaba eſt ge, cur non etiam ſch & ſt & pſ & gſ & ch gh & ph, & ſi quæ ſimiles ſunt. Zain quoq; & tzade, quid aliud ſunt poteſtate, quàm ds & ts? Germani quoq; uu geminatum aut bb explere poterant u conſonante, ut Ebræi per uau, Græci aliquot per digamma: ut uerũ **var** uel **war**, uentus **vend** uel **wend** / **heu** uel **hew**. Sed ordine iam nonnulla ſeparatim de

 Græcis & Latinis attingamus, qùum plurima ſint argumenta, ueterem ſcripturam eſſe mutatam.

Sedecim duntaxat literas Græcorum fuiſſe initio ante indicauimus ex Plinio, & quatuor adiecisſe Palamedem, quatuor uero Simonidem. Plutarchus quoq; idem teſtatur. Ordo literarũ nonnihil diſcrepat ab Ebraicarum literarum ordine, ueluti quòd theta prius ponitur, & tau poſteriori loco. Nam ordo contrarius eſt inter literas Ebraicas, quia rectius θ theta reſponderet Ebraico thau, & tau Græcũ Ebraico teth. Cæterum antiquos etiam retinuiſſe illum ordinẽ, ut alpha primũ locum, et o mega ultimũ poſſideret, prouerbia teſtantur, ut penulatorum alpha. Et in reuelatione domini Chriſti dicitur: Ego ſum alpha & omega, principiũ & finis. Plutarchus etiam explicat rationibus, cur alpha prima literarum ſit. Numeros etiam literis notarunt Græci, quod firmum & ſtabilem poſitionem literarũ poſtulat; ſicut libri XXIIII. Homeri uetuſtiſſimi uatis literis digerũtur, quomodo Galenus etiam diſpoſuit interpretationem ueterum dictionum Hippocratis & aliorum.

Figuras aũt literarũ Grecarum mutatas eſſe Plinius & alij boni authores indicant, qui ueterum literarũ meminerũt, & inſcriptiones antiquæ memoriæ idipſum teſtantur: ueluti Terentius Scaurus de c & k literis prodit, inquiens: Ego contenderim magis ſuperuacuam eſſe c quàm k: quoniã k ut apud Græcos ſatis etiam uim c literæ exprimat: ſed quoſdam figura deceptos, qua non ſolum apud nos, uerum etiam apud Græcorum antiquos hæc litera notabatur, ut teſtatur fœdus Græciæ camelo æreo in hortis Cęſaris ædi fortis Fortunæ inciſum. Aſpirationem antiqui ſcripſerunt in uerſu more Latino, ut Bœotij muha pro muſa poſuerũt: quam poſteriores diuiſerũt in duas notas in lenis aſpirationis notam, & flatilis aut denſæ, ut Priſcianus quoq; docet in primo libro. Scaurus quoq; aſſerit h eſſe literam & à Græcis ſcriptam in uerſu, eaq; Atticos notaſſe hecaton, i. centum. Quam notam hodie quoq; cernimus apud Græcos. In diphthõgis improprijs non ſub uocalibus α η ω poſuerunt punctum, ſed adpoſuerunt ad latus dextrum αι ηι ωι. Neq; tot habuerunt diphthongos ueteres Græci. Proſodias quoq; longas, breues, acutas, graues, circunflexas, & reliquas non ſignis, ut nunc fit, notarunt. Quod uetuſtiſſima teſtantur monimenta, ueluti Callimachi carmina, quæ Angelus

lus Politianus cap. 80. centuriæ ſuæ ponit, præfatus hæc uerba: Sed aures ad Callimachi iam uerſiculos ſubſcriptos ueteri more ſine ullis accentiunculis arrigamus. Pronūciatio autem hodie in Græcia uſitata, quæq; in Italiam & inde in alias prouincias orbis Chriſtiani allata eſt, multum à ueteri pronunciatione & ſyncera diſcrepat. Quod ratio conuincit, & Eraſmus Roterodamus ſatis oſtendit in libello de pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ.

In Latina ſcriptura eſt eadem ratio. Nam primum XVI. duntaxat fuerunt literæ apud ueteres, quot etiam Cadmus in Græciam intulit: utq; apud antiquiſſimos Græcorum non plus quàm ſedecim erant literæ, ita illis acceptis Latini antiquitatem ſeruauerunt perpetuam, teſte Priſciano. Sedecim antiquis Græcorū additæ ſunt poſtea duæ ab eiſdem acceptæ f Aeolicum ſeu uau, & χ. Ypſilon quoq; & z Græcorum nominum cauſa adſciuerunt. H quoq; & k & q Varro & Macer & Cenſorinus cenſuerunt non adhibendas eſſe in numero literarum. Diomedes quoq; in ſecundo libro tradit, quoſdam credere decem & ſeptem eſſe literas in ſermone Latino. Duas enim eſſe Græcas y & z, k & q ſuperuacuas, x duplicem, ha uero notā aſpirationis. Seruius quoq;, Græci aſpirationis notam hanc habent ⊢, quam daſeian uocāt: ad huius ſimilitudinem & pſilen ⊣. Nos his ſociatis aſpirationis fecimus notam H. At multo ueriſimilius eſt Græcos literam aſpiratam H uel h, mutaſſe in notam uocalis longæ etha, & eam diuiſam ⊢ ⊣ trāſmutaſſe in notas aſpirationis lenis & uehementioris. Quæ apud Ebræos diuerſis notis ſignantur in uerſu. Certè in commentarijs Nonij Marcelli de compendioſa doctrina digeſtis ordine literarum, XVIII. duntaxat literæ ponuntur. In cōmentarijs aūt Sexti Pompei Feſti quu litera etiā addita, XIX. literæ Latinæ probant, a b c d e f g h i l m n o p q r ſ t u. Quibus deſcriptos fuiſſe annaleis Ennij poëtæ, Cicero teſtatur in ſecundo libro de natura deorum, hiſce uerbis: Vnius & uiginti literarum formis Ennij annales conſcripti ſunt. Vbi legendum apparet unius de uiginti. Claudius Cæſar, Suetonio id referente, nouas commentus eſt literas tres, ac numero ueterū quaſi maxime neceſſarias addidit. De quarū ratione cum priuatus adhuc uolumen edidiſſet, mox princeps nō difficulter obtinuit, ut in uſu quoq; promiſcuo eſſent. Extat talis ſcriptura in pleriſq; libris ac diurnis tituliſq; operum. Cæterum authoritatem Cæſaris non diuturnam fuiſſe teſtatur Pri-

 ſcianus.Nam de litera F ſcribens ait,Pro Vau ſiue digamma Cæſar hãc figuram Ⅎ ſcribere uoluit.Quod quamuis illi recte uiſum eſt,tamen conſuetudo antiqua ſuperauit.Et de antiſigma inuento ab eodem Claudio ſcribit. P præponitur literæ s & loco ψ Grecæ fungitur. Pro qua Claudius Cæſar hac figura)(ſcribi uoluit. Sed nulli auſi ſunt antiquam ſcripturam mutare: quamuis non ſine ratione hæc quoq; duplex à Græcis addita uideatur.Cæterum ordinem ab antiquo ſeruatum eſſe,ut a prima collocetur, deinde b,tunc c,poſtea d,& deinceps aliæ ad hunc modum uſq; ad z,indicant ueterum libri ordinem literarum ſequentes, uelut Nonij Marcelli,Feſti Pompeij,quod antea monuimus.Plinius quoq; capite decimo ultimi libri docens de quibuſdam gemmis per alphabethi ordinem,ab a uſq; ad z progreditur.Et abecedarij uox inde formata.Ratio quoq; ſcribendi per notas,de qua alibi dicetur. Literarum Latinarum formas eſſe mutatas non ſecus quàm Grecarum,Plinius & alij authores docent,ueterum literarum facientes mentionem.Idemq; teſtantur antiquæ inſcriptiones.Nec parum ſcribendi ratio mutata eſt, ut liquet ex lectione grammaticorum & aliorum ſcriptorum. Vt i per ſe ſcripſerunt ueteres,ubi exile eſt,at ubi plenum eſt cum e præpoſito, ſicut obſeruauit Lucilius poëta,ſcribens:Mille hominum,duo meilia. Vocalem producendam geminaſſe,ut feelix,uiirtus Quintilianus admonet, ijdemq; ſibi obſeruatum in ueteribus reliquijs teſtatur Politianus cap.43. miſcellaneorum.Ibidemq; ſcribit:Diphthongi apud Latinos non plures quatuor perhibentur.Cum ſeptem nos eas ſaltem inueniamus in antiquis uel marmoribus, uel nomiſmatis, ut ai pro ae, ei pro i,ou pro u:oi quoq; pro oe antiquitus ſcribi ſolitum,Scaurus docet. Aſpiratione quoq; ueteres parciſſime ſunt uſi in uocalibus,cum edos ircosq; dicebant.Diu deinde ſeruatum,ne conſonantibus aſpirarent,ut in Graccis & triumpis. Erupit breui tempore nimius uſus,ut chorone,chenturiones,prechones adhuc in quibuſdam maneant inſcriptionibus. Hæc Quintil. in primo inſtitutionum rhet.libro.Idem Fabius, Minus,inquit,mirum,ſi ueteſtis operibus urbis noſtræ & celebribus templis legantur Alexanter & Caſsantra. Cicero quoq; in oratore ait: Quin ego ipſe cum ſcirem,ita maiores locutos eſſe, ut nuſquã niſi in uocali aſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem.Aliquando idq; ſero,conuitio aurium cum

extorta

extorta mihi ueritas eſſet, uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Præterea habam dixerunt antiqui, maxime Faliſci pro faba: & rurſum fordeum, fircum, fariolum, fœdum, quæ nunc enunciantur hordeum, hircus, hariolus, hœdus: ut Terent. Scaurus annotauit in orthographia ſua. Nullam etiam conſonantem geminarunt ueteres, teſtantibus id Fabio, Priſciano, Diomede & alijs. Quantum uariatum ſit in notis accentuum, & diſtinctionum, quas Græci θέσεις uocant, animaduertere licet ex Quintiliano, Diomede, Priſciano, Scauro, Iſidoro, & alijs pluribus. Nam Diomedes & Martianus Capella docent accentus à nonnullis faſtigia dici, quòd capitibus literarum apponerentur. Nonnulli pari etiam ratione acumina uocarunt. Scaurus reprehendens eos, qui cenſuerũt longam uocalem geminandam eſſe, ait: Vitioſum uidetur, quòd Accius geminatis uocalibus ſcribi natura longas ſyllabas uoluit: cum alioqui adiecto uel ſublato apice longitudinis & breuitatis nota poſſet oſtendi. Quintilianus primo libro de orthographia diſſerens, inquit: Longis ſyllabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſt, quia plurimæ natura ipſa uerbi, quod ſcribitur, patent. Sed interim neceſſariũ cum eadem litera alium atq; alium intellectum, prout correpta uel producta eſt, facit. Vt malus utrum arborem ſignificet, an hominem nõ bonum, apice diſtinguitur. Palus aliud priori ſyllaba longa, aliud ſequẽti ſignificat. Et cum eadem litera nominatiuo caſu breuis, ablatiuo longa eſt, utrum ſequamur, plerunq; hac nota monẽdi ſumus. Et paulo poſt: Orthographia quoq; conſuetudini ſeruit, ideoq; ſæpe mutata eſt. Nam illa uetuſtiſſima tempora tranſeo, quibus & pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris earum formæ fuerunt, & uis quoq; diuerſa. Et ſubijcit: Fortaſſe ſicut ſcribebant, etiam ita loquebantur. De Auguſto Suetonius illud prodidit: Orthographiam, id eſt formulam rationemq; ſcribendi à grammaticis inſtitutam, non adeo cuſtodijt. Ac uidetur eorum ſequi potius opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquamur, exiſtiment. Porrò quum priſci non geminarent conſonantes, præſertim ſemiuocales, notam ſicilici ad caput apponebant. Eſt autem ſemicirculi figura ſicilici nota, ut diſcimus in notis ponderum & menſurarum Voluſij Metiani. Horum nihil obſeruatur hodie. De notis diſtinctionum ueluti commatis, coli, periodi, non indiligenter ſcripſit Diomedes in ſecundo libro. Iſidorus autem Hiſpalenſis in etymo

 logico notas ponit remotas hodie non ſolum ab uſu uulgari, ſed à notitia etiam plurimorũ. De quibus lib. 1. cap. 20. præterea quædam ſcripturarũ notæ apud celeberrimos authores fuerunt, quas antiqui ad diſtinctionem ſcripturarũ carminibus & hiſtorijs appoſuerunt. Quemadmodum Epiphanius epiſcopus notas oſtendit ab Origene obſeruatas in ſacrorum librorum diſtinctionibus. Quas poſteritas neglexit. Sed hæc de mutatione Ebraicæ, Græcæ & Latinæ ſcripturæ ſuffecerint, quæ fortaſſe nonnullis nimia uideri poſſint. De alijs literaturis, quæ barbaræ dici ſolẽt, ſtrictim aliqua dicentur.

Quum enim Ebræorum XXII. ſint literæ, à quibus ueluti parentibus omnium populorum literæ publicæ progeneratæ ſunt, aliquæ gentes plures, aliquæ pauciores ſibi uſurparunt, figuris interim abludentibus magis aut minus. Literarum quoq; nomine cenſentur, quæ ſyllabæ magis ſunt ꝙ literæ, perinde atq; notas & ꝯ t̃ ꝶ, pro et, con, tur, rum, & ſimiles pueri numerant inter literas. Itaq; Pœni dicuntur habere literas & elementa XXVIII. quum habeant duntaxat XVII. figuras literarum, quæ appoſitis apicibus ſonum & poteſtatem uariant, ut etiam ad XXX. & plures euadant. Lam eliph autem inter literas ponitur, quę eſt nota, utq; uulgo loquuntur, breuiatura.

Aethiopes ordinem Ebraicarum literarum perturbarunt maxime, habentq; numero XXVI. literas, primo aſpectu ualde ab Ebraicis diſcrepantes. Verum attentus æſtimator non difficulter ad originem ſuam reducet.

Dalmatarũ literæ XXXII. perhibentur. At ſi quis animaduertat, aliquas eſſe notas ſyllabarũ, reuocabit eas ad XXIIII. elemẽta Græcorum, aut XXII. Ebræorum, aut etiam ad pauciora, quibus commode poſſint conſignari quælibet uoces Sclauonicæ linguæ.

Diodorus Siculus in tertio libro antiquarum narrationum meminit inſulæ poſitæ in oceano auſtrali ultra Arabiam, in qua homines diuiſam linguam habeant, loquelam uariantes, ut etiam auium diuerſarũ cantus imitentur. Quodq; magis admirandum eſt, eodem tempore cum duobus hominibus loquuntur perfecte ſimul reſpondendo & diſputando: ut una parte linguæ uni, altera loquantur alteri. Eoſq; tradit uti literis XXVIII. ſignificandi poteſtate; quum ſeptem ſint characteres, quarum quælibet expli

catur

catur modis quatuor. Qui etiam non ſcribunt per latus ut nos, ſed à ſuperiori parte recta linea ad inferiorem. Quod me admonet moris, quem Octauius Auguſtus tenuit in ſcribendo, cuius meminit Trãquillus hiſce uerbis: Notaui & in chirographo eius illa præcipue, non diuidere uerba, nec ab extrema parte uerſuum abundantes literas in alterum transferre, ſed ibidem ſtatim ſubijcit circunducitq;. Eam ueterum conſuetudinẽ fuiſſe arguit nomen uerſus à uertendo factum.

De notis & arcana ſcriptura.

POſtulare uidetur hæc literarum tractatio, ut dicatur nonnihil de notis, & arcano genere ſcribendi, quod Aul. Gellius furtiuum uocat. Vbi nihil occurrit aptius, quod præfationis loco ponam, quàm uerba diui Auguſtini poſita in ipſius libro ſecũdo de Chriſtiana doctrina. Sic enim præcipit de hominum inſtitutis fugiendis aut amplectendis. Adumbrata quædam & naturalibus utcunq; ſimilia hominum inſtituta ſunt: quorum ea, quæ ad ſocietatem, ut dictum eſt, dæmonum pertinent, penitus repudianda ſunt & deteſtanda. Ea uero quæ homines cũ hominibus habent, aſſumenda, in quantum nõ ſunt luxurioſa atq; ſuperflua, & maxime literarum figuræ, ſine quibus legere non poſſumus, linguarumq; uarietas, quantum ſatis eſt. Ex eo genere ſunt etiam notę, quas qui didicerunt, proprie iam notarij appellantur. Vtilia ſunt iſta, nec diſcuntur illicite, nec ſuperſtitioſe implicant, nec luxu eneruant, ſi tantum occupent, ut maioribus rebus, ad quas adipiſcendas ſeruire debent, non ſint impedimento. De notarijs Suidas ſcribit, τὸν ἀπορρήτων γραμματέα ἀσηκρῆτης καλοῦσι τὸ ἀξίωμα ῥωμαῖοι, hoc eſt, ſcribam, qui notat res, quas non licet propalare, à ſecretis uocant, quę dignitas eſt apud Romanos: & reliqua.

De notis, quibus nomina propria, & numeri ſignãtur, paſſim explicant grammatici, quibus etiam notãtur res & uocabula uſu protrita. Sic autẽ Q. Terent. Scaurus ſcribit: Literis principibus dictionũ ſingula noĩa aut uerba cõprehendimus: ut cũ ſcribimus Rp. & remp. & H p ſe, cũ hac lege & hac die, ſignificam⁹, & horã tertiam, hæredéſue. Valerius Probus, ſiue alius eſt author libri de literis antiquis, uideo enim eruditos aliquos dubitare, ita præ-

 ſatur. Eſt etiam circa præſcribendas uel paucioribus literis notandas uoces ſtudium neceſſarium, quod partim pro uoluntate cuiuſq; fit, partim uſu publico & obſeruatione communi. Nam apud ueteres cum uſus notarum nullus eſſet, ſcribēdi facultatem maxime in ſenatu, qui aderant, in ſcribendo ut celeriter comprehenderent, quædam uerba atq; nomina ex communi conſenſu primis literis notabant, & ſingulæ literæ quid ſignificabant, in promptu erat. Quod nominibus, pronominibus, legibus publicis, pontificumq; monumētis, iuriſq; ciuilis libris etiam nunc manet. Ad quas notationes publicas accedit etiam ſtudiorū uoluntas, ut unuſquiſq; familiares ſibi notas pro uoluntate ſignaret: quas comprehendere infinitum eſt. Publicæ ſanè tenendæ ſunt, quæ in monimentis plurimis, & hiſtoriarum libris, ſacriſq; publicis reperiuntur. Confecit Valerius iſte Probus iuſtū opuſculum ex notis collectis. Sed multo plures notæ colligi ex ſcriptoribus omnis generis poterunt. Vt quod Iſidorus docet V uerſo capite pupillam, ut inuerſum notare mulierem in iure ciuili. Sunt in libris conſultorum plurimæ notæ, quas paratitla uocant. A.A.A.F F. quid ſignificent in ueterum numis Petrus Crinitus his uerbis docet lib. 17. de honeſta diſciplina: In his literis, niſi fortè decipior, id ſignificatur, Aere, argento, auro, flando ferūdo. Quod in quorundam commentarijs etiam deprehenditur, in quibus de poteſtate ac uiribus notarum agitur. Quem ego librum haud equidem Probo Valerio adſcribendum exiſtimo, qui de notis Cæſarianis præter alia multa commētarium fecit: quod à Gellio in Atticis noctibus refertur. Libuit hanc rem ob eam præcipue rationem adnotare, quoniam iſtiuſmodi inſcriptio aliter ferè à multis exponitur. D.E.R.I.C. ſignificare, de ea re ita cenſuerunt, docet Gellius in quarto libro noctiū Atticarū. Ex ſecundo libro Iulij Frontini de aquęductibus diſcimus, iſtas notas, Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C. ſignificare, Quid de ea re fieri placeret, de ea re uniuerſi ita cenſuerūt. Porrò in iudicijs A abſoluēdi K damnandi, quod Græci dicunt καταδικάζειν, N L. hoc eſt, Non liquet, ampliandi notæ fuerūt: quæ calculis inſcriptæ, & in urnas aut ciſtas coniectæ ſententias iudicum exprimebant. Euſebius in chronicis teſtatur Tyronem M. Tullij libertum fuiſſe authorem notarum. Quanquam Tritemius etiam ipſum Ciceronem librum notarum ſcripſiſſe docet. Cuius uerba & ſi pluſcula ſunt, tamen quia continent

nent iucundam ſimul & utilem narrationem, & ad inſtitutũ hoc pertinentem, non pigebit me tranſcribere ex ultimo ipſius Tritemij libro de polygraphia, nec faſtidioſum erit lectoribus ea cognoſcere. Marcus T. Cicero facundus Romanorum orator librũ ſcripſit non paruæ quantitatis notarum. Quem ſanctus Cyprianus Carthaginenſium prçſul & martyr multis & notis & dictionibus ampliauit, adijciens uocabula Chriſtianorum uſibus neceſſaria, ut opus ipſum fieret non ſolum utile paganis, ſed multo magis etiam fidelibus. Rarus eſt codex, & à me ſemel duntaxat repertus, uiliq; pretio emptus. Nam cum anno dominicæ natiuitatis M. CCCCXCVI. bibliothecas plures librorũ amore perluſtrarem, reperi memoratum codicem in quodam ordinis noſtri monaſterio nimia uetuſtate neglectum, proiectum ſub puluere atq; contemptum. Interrogaui abbatem doctorem iuris, quanti illum æſtimaret. Reſpondit: Sancti Anshelmi parua opuſcula nuper impreſſa illi prçferrem. Ad bibliothecas abij, quoniam in ciuitate res contigit metropolitana. Poſtulata Anshelmi opuſcula pro ſexta floreni parte comparaui: abbati & monachis gaudens tradidi, & iam propè interitum actum codicem liberaui. Decreuerunt enim pergameni amore illico radendum. Biennio fermè poſthæc eques Argentinam in cauſis ordinis mei aſcendi, admiſſusq; per Ioannem Keiſersbergium inſignem loci eius concionatorem in bibliothecam maioris eccleſiæ, pſalterium reperi totum ijſdem Tullij & Cypriani notis exaratũ, aureisq; capitellis decentiſſime ſcriptum. Superſcriptio autem ab ignaro myſterij talis fuerat extrinſecus poſita, pſalterium in Armenica lingua. Doctorem adhibui, falſitatem oſtendi, ita reſcribendum admonui, pſalterium notis Ciceronianis deſcriptum. Quod fecerit nec ne, incertũ habeo, quoniam ad eam bibliothecam poſtea non ſum reuerſus. Et poſt aliquot notas enumeratas ſubijcit: Memoriam poſtulat iſte modus ſcribẽdi magnam, & laborem legendi penitus ingentem: ubi quilibet character aut dictionem ſignificat integram aut ſyllabam ultimam, ſiue partem orationis aliquam ad compoſitionem totius idoneam. Hæc abbas Tritem. Hoc genere ſcribendi Ebræi plurimũ utuntur, ut ponant unam aut alteram literam principalem pro totius uerbi literis. Quam ob cauſam etiam uocant raſchei theboth, hoc eſt initia dictionum. Germani etiam uſurpant, quanquã parcius: ut quũ ſcribunt N. pro nam; quando ignorãt nomen proprium,

aut non tutum eſt illud proferre, aut certe non occurrit memoriæ. Signãtur autem notis propria nomina, nec non numeri, pondera, menſuræ, numi: quæ non parum ſunt uariatæ. In libris leguleiorum ſingularem diligentiam poſtulat abbreuiata lectio. Vnde quidam modum legendi libris etiam editis tradiderunt. De notis ponderum & menſurarum, & eiuſmodi, quibus medici Græci utuntur, extat etiam libellus Galeno adſcriptus. In quo ſcriptio per notas dicitur διὰ χαρακτήρων σημαίνειν ἢ διὰ σαφηνίσαι: altera uero ὁλογραμμάτως.

Aliud genus notarum eſt mathematicis peculiare, quo numeros ſignãt: ut quæ ziphræ uocãtur ab Indis mutuo acceptæ. 1 2 3. & reliquæ. & quo aſtra, & aſtrorum poſitionem & effectus notãt, ut ☉ ſolem ☽ lunam ♈ arietẽ notet. Atqꝫ id genus plurima. Eas notas continet Græcus libellus de prognoſticis ex mathematica doctrina, pertinentia ad iudicandum de morbis etiam & medicina: qui etiam Galeno adſcribitur. Quæ multã habent affinitatem cum Aegyptioꝝ hieroglyphicis literis, in quibus ſingulæ notæ integrum nomen atqꝫ adeo rem totam ſignarunt, nec non perfectam ſententiam, ueluti ꝙ figura crucis portendit futuram ſalutem. De ſymbolis autem & notis Aegyptiacæ theologiæ olim ſcripſit Chæremon, & Petrus Crinitus ſcribit ſe totam propemodum eam doctrinam literis conſignaſſe. Paſſim etiam in ſcriptoribus de illis quædam aſperſa ſunt, & circunfertur libellus Græcus de hiergolyphicis literis.

Cum quibus habent cognationem characteres, quibus magi tum in carminibus tum in amuletis maximam uim attribuunt attrahendi, repellendi, alligandi, ſoluendi, ſiſtendi, amores & odia conciliandi & tollendi. Eos ſi quis requirat, legere poteſt in libris Agrippæ de occulta philoſophia.

Compendia quoqꝫ ſcribendi huc pertinere uidẽtur, quæ mire ſolent uariari: apud Ebræos alioqui & Græcos & Latinos, & Latinæ literaturæ conſortes multum frequentata. Vt quum ultima litera uel duæ in ſcribendo prætermittuntur apice appoſito, qui eius rei admoneat. Mediæ quoqꝫ literæ hoc modo excludi ſolent, ueluti cum Græci ſcribunt κ̄ῡ pro κύριος, χ̄ς̄ pro χριστός, ἄν̄ος pro ἄνθρωπος. Et Latini ꝯ pro con, & pro et, Dñs pro dominus. Quas quidem abbreuiationes & breuiaturas uocant.

Arcanæ

POſtremo non ſilentio prætereundum eſt genus ſcribendi arcanum, quod nonnulli furtiuum appellant ſcriptum, & adulterinum. Cuius principium non ineptum ponit, ut equidem iudicare poſſum de rebus arcanis, Tritemius. Qui prefatione libri tertij de polygraphia ſic ſcribit: Lingua inſtrumẽtum eſt earum conceptionum foras proferẽdi, quas apud ſemetipſum animus in interioribus cogitauit. Huius miniſterij ſecretorũ animi ad ſenſum plures ſunt modi, quorum proprietates & uſu uariantur & arte. Vſus ad placitum introductus cõmunis eſt multis, ars uero paucis. Et in fine: Iter paucis oſtẽdimus ad maxima, & finitis modum dedimus ad infinita. Ex datis & acceptis facile maiora parantur amicis. Ac rurſum in præfatione libri ſexti: Quum unitas linguæ confuſa eſſet, characterum etiam ſimplicitas fuit multipliciter uariata. Hinc factum eſt, quòd uſus literarum tantam ſibi licentiam ſucceſſu temporis uſurpauit, ut nõ ſolum gentes ſingulę, uerum & homines quiq; ſuo arbitrio nouos pro literis characteres effingentes, ſuis latibula myſterijs parauerunt. Omnis tamen inuſitati characteris ſcriptura eorum, qui uiderint eam, ſuſpicione nõ carebit. Quo non obſtante reges, tyrãni, & principes olim ueteres multi ſegregatum à communi, familiarem ſibi modum adinuenerunt ſcribendi, ſuſpicionem aliorum parum curantes, modo non perciperetur, quod uolebãt manere ſecretum. Quorum imitatione permotus, & cupiens hoc opus polygraphiæ, quantũ fieri poteſt, ad finem deſtinare perfectum, in hoc libro ſexto, qui & ultimus eſt, quoſdã characteres ueterum, qui ab uſu mortalium iam olim deſierunt, ne penitus intereant, ab inferis ſtatim reuocare. Ponit autem, ut ipſe pollicetur, XXIIII. alphabeta reconditę ſcripturæ. Pręterea literarum tranſpoſitionem multiplicem una tabula ſeu diagrammate comprehendit libro quinto. Et in præfatione totius operis nec nõ in claue polygraphiæ principes uiros enumerat, philoſophos, & reges, ueluti Auguſtũ, Archimedem, Vuaramundum, Claudium Crinitum, Carolum magnum, Matthiam Pannoniæ regem: Populos etiam, ut Nortmannos, enumerat, uſumq; abſtruſioris ſcripturæ oſtendit non contemnendũ. Eiuſdem argumenti etiam fuerũt octo libri ſteganographiæ eiuſdem Tritemij. Cuius operis meminit hiſce uerbis: Amore breuitatis ſilentio plures præterimus, qui naturam arte iuuantes arcanis pru

 dentiam adhibuerunt: & quod neſcientibus multis uidebatur im poſſibile, ſagaci ſtudio in uſum facilem produxerũt. Culta mens grandia poteſt, & qui adhæret deo, intelligentia fit mundo altior. Multa ſunt myſteria regum, & curis plena conſilia, in quibus con fidentia requiritur & fides: quæ rara nocet credenti, & dubium etiam cum adeſt, ſæpius admittit. Operæpretium idcirco fuerit principes omnes philoſophos eſſe, atq; ſingulari præditos ſapientia, iuſtos, manſuetos, beneuolos, & munificentia inſignes: ut nec alios ipſi uelint decipere, nec ab alijs facile queant ſupplãtari. Sola prudentiæ comes iuſtitia principem efficit glorioſum. Ad memorati principis & domini electoris Philippi comitis Palatini Bauariæq; ducis inſtantiam ego Ioannes Tritemius nunc abbas monaſterij S. Iacobi apud Vuirciburg, tunc uero diui Martini præſulis in Spanheim, Moguntinæ diœceſis, octo myſteriorũ libros in ſteganographia ſcribere cœpi. Vocat autem nouum & mirandum opus. Atq; in claue polygraphiæ ita loquitr de ſteganographia: Eſt & aliud genus dactyletron, non ſcribendi tamen, ſed notis, quibus ſubtiliſſimis modis alteri alter mentis ſuæ poteſt intimare conceptum. Quod & ipſum tot uariatur differentijs, ut nemo ſit in mundo, qui ſpecies tanti queat myſterij omnes dinumerare. Modo principali ſimul & alijs multis ex eo deſcendentibus artificialiter in menſa ſedens, uel in quolibet alio loco, quicquid uolueris, artem ſcienti poteris intimare ſecure, tutiſſime, & ſine cuiuſquam ſuſpicione. Deniq; ut ſine literis arcanũ mentis tuæ denuncies abſenti, etiam ipſo neſciente, qui officium gerit nunciantis, inuentis ſteganographiæ manet adſcriptum. Enimuero cum regibus & principibus occurrant negotia multa, quorum ſuis interdum uicarijs procul abſentibus non ſatis tuto ſcientiam per literas uſitatas dare confidunt, operæpretium fuerit, quemlibet eorum modos ſcribendi nunciandiq; nonnullos habere ſpeciales, quibus ſecreta ſua tutiſſime poſſint notificare amicis, his præſertim temporibus, in quibus præualente licentia peccãdi, nuſquam tuta reperitur fides in orbe. Capiũtur paſſim nuncij principum, à latronibus ſæuis ſpoliantur, uerberãtur, & plerunq; interimuntur, ſed nec epiſtolis regum annulis conſignatis & clauſis parcũt impij raptores. Ad ſteganographiã nimirũ pertinet dactylologia & arthrologia, quam Beda primus omnium literis commẽdauit, teſte Tritemio: ut per geſticulationes digitorũ & artuum, quibus olim

olim notabantur numeri, tanquam per ſcripturam aliquid ſignificetur. Edidit etiam Fridrichus Pheretrius libellum de furtiuis literis, in quo multa eorum genera ſummo ingenio complexus eſt, Perotto teſte. Beda etiam in libro de inuentis antiquorum multos & uarios occulte ſcribẽdi notandiq́ modos recenſuit, quibus arcana ſua tuto nunciabant amicis, ac ſine uoce loquebantur præſentibus. Ante annos etiam paucos in Italia editi ſunt libelli, docentes rationem ſcribendi per occultiores notas, quas uocant Ziphras. Totum autem illud genus ſcribendi fortaſſe planius percipietur, ſi ad quædam genera conferatur.

Prima ratio literas & ſcripta occultandi eſt poſita in tranſpoſitione aut permutatione elemẽtorum, ut quum prima litera a pro b uſurpatur, b pro c, aut prima pro ultima, ſecunda pro penultima, itemq́ aliæ literæ permutantur ad hunc modum. Quod multis fit modis, ſi uicinæ, ſi tertio gradu, aut quarto, aut quinto, aut ſexto, deniq́ uiceſimo aut uiceſimoquarto gradu diſiunctæ inuicem permutentur. Quò pertinet quod nonnulli ſcribunt planè inuerſis uerbis. Cuius etiam Iſidorus meminit. Aut quæ notãdis numeris ſeruiunt, pro ijs mutuo accipiuntur literis, quæ numerum eundẽ ſignificant. Veluti apud Ebræos טו ſcribitur pro יה quod eſt nomen dei. Nam utraq́ literarum colligatio notat quindecim. Eſtq́ id genus ſcribendi non incelebre apud Ebræos, qui utuntur metatheſi literarũ, quam uocant athbaſch אתבש, quum uidelicet aleph loco thau ponitur, & beth loco ſchin, itemq́ aliæ literæ tranſmutantur eodem pacto. Eius autem occultioris ſcripturæ Iudæorum mentionem etiam facit Hieronymus. Qui cenſet prophetam Hieremiam ששך ſcripſiſſe pro בבל arcana ratione, ne rex irritaretur in captiuos Iſraelitas. Sunt autem hæc Hieronymi uerba in commẽt. Hierem. 25. cap. Quomodo Babylon, quæ Hebraice Babel dicitur, intelligatur, non magnopere laborabit, qui Hebrææ linguæ paruam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Græcum alphabetum uſq́ ad nouiſſimam literam per ordinem legitur, hoc eſt α β, & cętera uſq́ ad ω, rurſumq́ propter memoriam paruulorũ ſolemus lectionis ordinem uertere, & primis extrema miſcere, ut dicatur α ω, β ψ; ſic & apud Hebræos primum eſt א, ſecundum ב, tertium ג, uſq́ ad uigeſimamſecundam & extremã literam ת, cui penultima eſt ש. Legimus itaq́ אתבש. Cumq́ uenerimus ad medium, ל literę ocurrit ב. Et ut ſi recte le-

 gatur, legimus Babel, ita ordine commutato, legimus ſeſach. Vocales autem literæ inter beth & beth, inter lamed & caph, iuxta idioma linguæ Hebrææ in hoc nomine non ponuntur. Hoc genus literaturæ, quod notariacon & gæometricum uocant, præcipue exercent cabalæ magiſtri. Nec deſunt exempla etiam in Latina lingua. Suetonius enim de Iulio Cæſare ita ſcribit, deq; ipſius epiſtolis: Extant & ad Ciceronem, item ad familiares domeſticis de rebus. In quibus ſi qua occultius proferenda erant, per notas ſcripſit, id eſt, ſic structo literarũ ordine, ut nullum uerbum effici poſſet. Quæ ſi quis inueſtigare & perſequi uellet, quartã elementorum literã, id eſt d pro a, & perinde reliquas commutet. Idem Suetonius de Octauio Auguſto: Quoties per notas ſcribit, b pro a, ac deinceps eadem ratione ſequẽtes literas ponit: pro x autem duplex aa. Aul. Gellius lib. 17. de clandeſtinis literis ita ſcribit: Libri ſunt epiſtolarum C. Cęſaris ad C. Oppium & Balbum Cornelium, qui res eius abſentis curabant. In his epiſtolis quibuſdam in locis inueniuntur literæ ſingulariæ ſine coagmentis literarũ, quas tu putes eſſe poſitas incondite. Nam uerba ex his literis confici nulla poſſunt. Erat autem conuentum inter eos clandeſtinum de commutando ſitu literarum, ut inſcriptio quidem alia alię locum teneret, ſed in legendo locus cuiq; ſuus & poteſtas reſtitueretur. Quæ nam uero litera pro qua ſubderetur, ante ijs, ſicut dixi, complacebat, qui hanc ſcribendi latebram parabant. Eſt adeo Probi grammatici commentarius ſatis curioſe factus de occulta literarum ſignificatione epiſtolarum C. Cæſaris ſcriptarũ. Huc etiam pertinet ſcytale, qua Lacones ſunt uſi, quam Gellius & Suidas deſcribunt ijſdem propemodum uerbis. Vt Gellij uerba ſatisfaciant in hoc argumento, quæ ſic habent: Lacedęmonij ueteres cũ diſſimulare & occultare literas publice ad imperatores ſuos miſſas uolebant, ne ſi ab hoſtibus exceptæ forent, conſilia ſua noſcerentur, epiſtolas id genus factas mittebant. Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari craſſamento, eiuſdemq; longitudinis, deraſi atq; ornati conſimiliter. Vnus imperatori in bellum proficiſcenti dabatur. Alterum domi magiſtratus cum iure atq; cum ſigno habebant. Quando uſus uenerat literarum ſecretiorum, circũ eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant uolumine rotundo & ſimplici: ita ut oræ adiunctæ undiq; & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Li-

teras

teras deinde in eo loro per trãſuerſas iuncturarũ oras, uerſibus à ſummo ad imũ proficiſcẽtibus inſcribebãt. Id lorum literis ita per ſcriptis reuolutum ex ſurculo, imperatori commenti illius conſcio mittebant. Reſolutio autem lori literas truncas atq; mutilas reddebat, membraq; earũ & apices in parteis diuerſiſſimas ſpargebat. Propterea ſi id lorum in manus hoſtiũ inciderat, nihil quicquam coniectari ex eo loro quibant. Sed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat, ſurculo compari, quem habebat, capto, ad finem perinde ut debere fieri ſciebat, circumplicabat, atq; ita literę per ambitum eundem ſurculi coaleſcentes rurſum coibant, integramq; & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabãt. Hoc genus epiſtolæ Lacedæmonij σκυτάλην appellant. Hæc Gellius. Archimedem quoq; mathematicum legimus uſum bacillo tum quadrato tum rotũdo in celandis arcanis literarum. Plutarchus author eſt Pharnabazũ ſuppoſitia ſcytale decepiſſe Lyſandrum.

Alterum genus arcanarum literarum eſt, quum literæ ſuperuacaneæ ſubinde inferciuntur, aut neceſſariæ ſubtrahũtur ex pacto, quod ſcribentes inter ſe inierunt. Quod hodie celebratur inter Europæos, ut quod maximè, quum notæ commentitię paſſim inſeruntur, quas ziphras uocant.

Tertium genus eſt, quum noui characteres excogitantur, aut multarum gentium literæ commiſcentur. Quomodo ſcripſiſſe aliquando Normannos, antea monuimus. Cuius generis eſt, q pro uocalibus notæ numerorum ponuntur, aut literæ p. adijciuntur lineolæ, quæ in quinq; uocales eam diſtribuant. Nec non illa ratio ſcribendi Iudęis quoq; uſurpata, ut quadrato æquilatero deſcripto lineæ ab omni parte extendãtur, & nouem ſuperficiebus alphabeta cuiuſcunq; populi accommodentur.

Quartum genus fuerit, quo ſcriptura tota occultatur. Inuiſibilium tria genera inter mortales hodie magis uſitata enumerat Tritemius. Dermaticum, quo fit in dorſo nunciorum ſcriptura quædam artificialis, per loturam cuiuſdam humoris duntaxat uiſibilis. Quam penetrare nemo ſufficit, qui artis neſcierit arcanum. Hyphalmicum, quo rebus certis in panno ſcribitur, quod exiccatum uideri poteſt minime, donec madefactum in aqua frigida cernatur. Alleoticum, quod eſt multiplex & uarium tam in forma quàm in materia: habetq; modos occulte ſcribendi penè innumerabiles. Eius ſcriptura fit in charta uel ſine charta rebus diuerſis.

 Scribuntur item literæ ac modis uarijs & locis penè infinitis abſconduntur.

Huius generis eſt ſcribere chalcantho, quod uictriolũ quidam uocant, ut literæ non appareant, niſi charta uel membrana pergamena tingatur aquis factis ad eum uſum. Quodq́ ſucco herbarum ſcribunt literas oculos fugientes, priuſquam admotæ ad lucernam colorem ſubruffum accipiunt. Quod albumine pingũt, & atramentum ſuperfundunt: quo deraſo apparent characteres inſcripti chartæ. Quum Demaratus aliquãdo rex Spartanorum, ſed apud Xerxem ageret Suſis, quum Græciæ bellum eſſet illaturus: Id conſilium regis Perſici Græcis nunciauit inſcribens literas pugillarium ligno, eisq́ ceram inducẽs, ne res à Perſis cognoſceretur. Quod Herodotus in Polymnia ſcriptum reliquit. Aul. Gellius idem ab Haſdrubale, aut alio Pœno factum eſſe teſtatur. Hiſtiæus Mileſius agens apud Darium, Ariſtogoram ſolicitaturus ad defectionem furtiuo ſcripto, comminiſcitur hoc literarum opertum admirãdum: ut fido ſeruo radat caput, eiq́ literas inſcribat, retinens apud ſe, donec pilus iterum fruticaret: ac tunc miſit ad Ariſtogoram, iubens ut caput ei radat. Eius meminit Gellius libro 17. & Herodotus in Terpſichore. Harpagus Medus literas, quibus Cyrum extimulauit ad regnum arripiendum, exenterato lepori inſertas cum inſtrumento uenatorio per ſeruum tranſmiſit, ut Herodotus & Iuſtinus teſtantur. Artabazus Perſa & Timoxenus Scionæorum magiſtratus de proditione ita ſunt inter ſe pacti, ut exaratos libellos & chartas inuoluerent poſtremæ parti ſagittæ adaptatis deſuper pennis, & ſagittam alter ad alterum emitteret in locum, de quo conuenerat. Id quod Herodotus memorat in Verania. Sed hæc uniuerſa mihi uidentur habere communem rationem cum ſtratagematis: quæ niſi occultentur, uim ſuam perdiderunt. Ideoq́ ſubinde noua comminiſci oportet, quę iam erunt infinitæ uarietatis.

De chalcographia.

QVamobrẽ tranſeuntes à clandeſtinis literis ad manifeſtas, typographiæ initia conſideremus, quæ ex chirographia mutatione auſpicatiſſima prodijt: ut locũ de origine linguarum & literarum, nec non earum mutatione feliciori clauſula terminemus.

nemus. De qua Polydorus Virgilius Vrbinas libro ſecundo de inuentoribus rerũ ita ſcribit: Bibliothecas inſtruere & publicare fuit omnino magnum mortalibus munus: ſed nequaquam conferendum cum hoc, quod noſtro tempore adepti ſumus, reperto nouo ſcribendi genere. Tantum enim uno die ab uno homine literarũ imprimitur, quantũ uix toto anno à pluribus ſcribi poſſet. Ex quo adeo diſciplinarũ omniũ magnaq́ꝫ librorum copia ad nos manauit, ut nullũ amplius ſuperfuturũ ſit opus, quod ab homine quamuis egeno deſiderari poſſit. Illud inſuper adde, ꝙ authores quoqꝫ plurimos tam Græcos ꝙ̃ Latinos ab omni prorſum interitus periculo uindicauit. Quare tantæ rei author nõ eſt ſua laude fraudandus, præſertim ut poſteritas ſciat, cui diuinum beneficium acceptum referre debeat. Cęterum quia in tempore & loco & inuentore nonnihil diſcrepant ſcriptores, optimum fuerit Iacobi Vuymphelingij caput 65. ex epitome rerum Germanicarum huc trãſcribere, qui mihi uidetur eius rei certiſſimus author. Anno, inquit, Chriſti M.CCCC.XL. Fridricho tertio Romanorum imperatore regnante, magnum quoddam ac penè diuinum beneficium collatum eſt uniuerſo terrarum orbi à Ioanne Guotenberg Argentinẽſi, nouo ſcribendi genere reperto. Is enim primus artem impreſſoriam, quam Latiniores excuſoriam uocant, in urbe Argentinenſi inuenit. Inde Maguntiã ueniens, eandẽ feliciter compleuit. Interea Ioannes Mentel id opificij genus incœptans, multa uolumina caſtigate ac polite Argentinæ imprimendo, factus eſt breui opulentiſſimus. Huic ſucceſſit Adolphus Ruſchius, mox Adolpho Martinus Flachus, qui & ipſi Argentinenſes in natali ſolo cum laude & gloria hanc artem exercuerunt. Is eſt ille Martinus Flachus, qui dum in humanis eſſet, iunctus affinitate fuit noſtro Mathiæ Schurer, homini ſanè docto, probo ac integro. Cuius quotidiano conuictu, aſſidua familiaritate ac conſuetudine, chariſſime Thoma, & ualde recrearis, & mirificam uoluptatem capis. Nec ſolum noſtri in hac arte Argentinæ floruerunt, ſed eandẽ etiam alibi tractantes, & decus & emolumentum ſunt conſecuti. Ita Sixtus Ruſinger Argentinus Neapoli anno M.CCCC.LXXI. libros, ꝙ̃modo imprimi poſſint, primus monſtrauit. Ob quod factum Ferdinando, & Neapolitanæ nobilitati chariſſimus extitit. Huic ſępe ab ipſo rege epiſcopatus & ampliſſimæ dignitates oblatæ ſunt. His omnibus patriam Argentinam

 præferens ad nos conceſſit, eſtq; hodie uita ſuperſtes, uir ob digni tatem ſacerdotalem & ſenium reuerendus. Præterea Vdalricus cognomento Han, ſub idem fermè tempus formas librarias, rem inauditam, nec unquam Romanis uiſam, Romam attulit. Fuit is natione Germanus, cui cognomentum, ut dixi, erat Han. Id Latine gallum gallinaceum ſignificat. Hoc ideo ſcribo, quia Campanus, & aliquot docti exiſtimauerunt hunc Vdalricum natione Gallum fuiſſe, quod planè falſiſſimū eſt. Is tamen error inde emanauit, quòd cognomen familiæ traductum fuit in Latinū. Quod Hermolao Barbaro authore nunquā fieri debet. Nomina enim, & cognomina, oppidorum propria ſicut hominum quacunq; lingua retineri ſolēt. Itaq; Vdalricus Han cum hoc diuino opificio rem literariā ex inopia ad ingentem ubertatem perduxiſſet, Antonius Campanus in illum iocatus hoc tetraſtichon edidit:

Anſer Tarpeij Iouis, unde quòd alis
    Conſtreperes, Gallus decidit. Vltor adeſt
Vlricus Gallus, ne quem poſcantur in uſum,
    Edocuit, pennis nil opus eſſe tuis.

Non eſt prætereundus Ioannes Prus municeps noſter, qui hanc artem hodie in urbe Argentina diligenter excolit: qui infinita uolumina literarū ſtudioſis legenda dedit. Multi ſummi & celebres uiri hoc impreſſorium munus laudauerunt, ut Polydorus Vrbinas, ut Beroaldus præceptor tuus. Is in quadā oratiōe ſua, Quod, inquit, ingenioſius inuentum, quàm literaria impreſſoria, uel ut Latinius loquar, excuſoria, qua nil utilius. Et alibi idē Beroaldus in quodam hendecaſyllabo:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit uetuſtas,
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Quod ergo nonnulli adſcribunt excellētiſſimæ rei inuentum ciui Moguntino, & nōnulli quidem Ioanni Fauſto, & ad annum circiter M. CCCC. LII. prorogant ortum eius, inde accidit, quod primus inuentor excogitatam à ſe artem in patria, Moguntiam deſcendens, alijs etiam adiunctis, perfectiorem reddidit. Quę quidem paulatim ad eam perfectionem, quam nunc habet, perducta eſt. Nam principio ligneæ tabulæ inſculpſerūt literas, quæ paginam libri complecteretur. Id quia magni ſumptus & laboris fuit, excogitati ſunt typi lignei connexiles, ut filum per foramina ſingulorum

gulorum inductum uerſum unum connecteret. Pluribus autem uerſibus ſerie deinceps coniūctis pagina expleta eſt. Tandem excogitarūt ingenioſi artifices imaginem literæ in ferrum incidere, atq; imprimere archetypo æreo, quem uocant matriculam, atque in eo plurimas literas eiuſdem formæ ex ſtanno fundere. Porrò literæ omnes in arca patula per loculos digeruntur, è quibus compoſitores formularum literas connectētes paginas implent. Quæ concluſæ marginibus ferreis prælo ſubijciuntur, eisq; atramentum aut alterius coloris pigmentum uernice temperatum, ut tenacius hæreat, pelliceis pilis inducitur. Illisq; chartæ humectatæ literario prælo ualidius imprimuntur, ut ſcripturam excipiant. Non parum ſplendoris artificio typographico addidit Aldus Manutius; cuius induſtriam ſedulo multi æmulantur chalcographi in Germania, Gallia & Italia. Mihi equidem hoc Germanicum inuentum conſideranti non ſine admiratione magna, ſuccurrit memoria tormenti ærei, quam bombardam & ſclopetum appellant. Quo nihil magis terrificum, nihil tetrius in perniciem generis humani poſſet excogitari: quum unus globus in exercitū aliquem ſcite excuſſus, centum homines aut plures etiam momēto perimat. Eius machinæ authorem ferunt ſcriptores Bertholdum Swartz, monaſticæ profeſſionis hominem, & chymicæ perſtudioſum, cui baſiliſcus à Mercurio extinctus tam noxiæ rei comminiſcendæ occaſionem præbuit anno LX. ante inuentā artem chalcographicam. Vt Germani alterum inuentū habeant cum Thubalcain filio Cain commune, alterum cum filijs dei, ſiue Moſen, ſiue Abrahamum, ſiue Seth, ſiue deniq; Adamum parentem literarum fuiſſe credimus. Nimirum ut abundaret gratia, ubi abundauit malitia. Dedit enim Germania per iſtum Bertholdū Swartz, nouiſſimis temporibus, quibus abundauit iniquitas, & charitas refrixit, multiq; ſectantur uiam & ſectam Cain, horriſona uaſa mortis exteris nationibus, & in ſua uiſcera, & in mutuam perniciem generis humani. Quo inuēto, Salmoneus, Buſiris, Phalaris, Sapores, Perillus, Scythæ, Leſtrygones, Canibali nihil immanius excogitare potuiſſent. Rurſum Germania per Ioannem Guotenberg, ciuem clariſſimę urbis Argentinēſis, dedit artificiū tum celerrime tum faberrime ſcribendi libros, hoc eſt, conficiendi organum ſapientię. Quæ ſapientia ubicunq; admittitur & auditur, compeſcit furores, & humanitatem, beneuolētiam, iuſtitiā, æqui-

 tatem, pacemq́ ſanctam conciliat, fouet, conſeruat. Vnde non plus beneficij hominibus contulerunt, qui ob inuenta arma, uehicula, naues, aratra, lanificium, ædificandi ſcientiam, & aſtronomiam inter deos relati ſunt, quam qui artem excribendi libros bonos & inter homines propagandi repererunt. Vt in altero inuento Germania cum peſſimis, in altero cũ optimis authoribus paria faciat: ne quis glorietur niſi in deo. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, non fortis in fortitudine, non diues in diuitijs ſuis, ut pręcipit Hieremias, uel potius deus per uatem ſanctiſſimum. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, quòd ſciat & nouerit dominum, quodq́ faciat miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra.

Hier. 9.

De operis diſpoſitione, quo lingua quælibet apte comprehendi poßit.

POſteaquam enumeratis plurimis linguis planum feci, ut mihi uideor, omnium linguarum, quæ hodie in cũctis partibus habitati orbis celebrantur, aut olim in uſu hominum uerſatæ ſunt, nunc autem uelut ſepultæ iacent, aut quas homines poſſunt comminiſci, unam eſſe rationem & doctrinam communem: eamq́ poſſe comprehendi ab hominibus, & utilem fore illius notitiam non uno nomine: explicaui etiam de origine & mutatione tum linguarum tum literarum: poſtulat ordo inſtituti commẽtarij, ut oſtendam modum, quo lingua quæq́ poſſit uelut organo diſcendi ſimul & docendi comprehendi. Nam id præcipue mihi propoſui pateſacere, quantum ingenij mei uires & occupationes permiſerint.

Verum quia propoſitum argumentum latiſſime patet, quippe quod pollicetur oſtendere communem rationem diſcendi tradendiq́, & ad uſum accommodandi quamlibet linguam & literaturam, & talem quidem rationem, in qua rerum notitia cum uerborum notitia coniungatur, ad hoc organi uice exiſtat, quo res populorum uniuerſæ ſpectandæ proponantur ſub conſpectum datæ, utq́ Græci uocant ἐν συνόψει: deniq́ philoſophiam totam ſummatim comprehendendi, conſultiſſimum uidetur principio uiam & rationem docendi, quam ſecutus ſum, indicare. Eſt enim in argumento ampliſſimo, & tam uario, quàm eſt rerum uniuerſitas, procliue à ſcopo ueritatis & recti aberrare uel inſcitia uel obliuione: omnis aũt error etiam in re leui plus mali quam boni adfert.

Deinde

Deinde amplitudo prope immenſa in anguſtum modum nobis concludenda eſt. Præterea diſcedere aliquando à ſententia maximorum uirorum & in uniuerſo tractatu & in partibus, ratio & authoritas non leuior etiam quam illorum, à quibus diſcedimus, hortantur. Quare optimum fuerit ueluti cancellis rationis methodo nos circumſcribere: qua & error facilius deprehendatur, ſicubi à uero diſceſſero, & præparata ſit defenſio contra calumniã, quod interdum receptas opiniones deſero. Quid quod methodi cognitio per ſe res eſt longe utiliſſima, & in primis neceſſaria in ueritatis cognitione, & explicatione quarumuis rerũ. Quam Galenus in medicina tradenda ubiq; ſeruans diligenter, omnium medicorum facile princeps exiſtit. Eamq; requirit in omni bono medico, & periniquus eſt imperitis illius uię & rationis, ut quos neceſſum ſit ſæpius hallucinari. Quod tum in aliis multis locis oſtẽdit, tum in primo libro de uſu partium corporis humani. Teſtatur autem traditam ab antiquis ſapientibus.

De ratione & uia docendi quamcunq; rem aut artem aut ſcientiam, quæ Græcis appellatur μέθοδος aut διδασκαλία.

CIcero quidem rationem docendi exactã in artibus & forenſi dictione tenuit, ut qui maxime. Ad hæc commendat ipſam, & qualis ſit edocet. Quemadmodum hoc ipſo capite docebimus. Ariſtoteles quoq; princeps in omni doctrina, methodum obſeruauit, & præcepit obſeruandum, nec alia de re magis commẽdat octo libros ſuos, quibus docet inuenire materiam ad dicendũ de quocunq; argumento, quam quod ſeruiant methodo. Eamq; doctrinam tũ leuiter attingit in metaphyſicis, tum plenius tradit in poſterioribus libris de ſyllogiſmis, ſiue ut nunc ſolent nominari, in analyticis poſterioribus. Plato quoq; antiſtes omnis philoſophiæ, ut eam doctrinam, quam διδασκαλικὴν appellat, ſolet commendare, ita non diſcedit ab ea, tametſi adhibet copiam & ornatum eloquentiæ. Id quod perſtudioſe fecit Platonis doctor Socrates. Cuius dicta & facta memorabilia quatuor libris comprehendit Xenophon, quibus titulum fecit, apomnemoneumata. Et in quarto libro tũ de aliis uirtutibus, quas docuit exercuitq; Socrates, tum de moderatione & temperantia differens, inquit: ἀλλὰ τοῖς ἐγκρατέσι μόνοις ἔξεστι σκοπεῖν τὰ κράτιστα τῶν πραγμάτων καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ δια

λέγοντας, καὶ τὰ γένη τὰ μὲν ἀγαθὰ προαιρεῖσθαι, τῶν δὲ κακῶν ἀπέχεσθαι. καὶ οὕτως ἔφη ἀρίστους τε καὶ εὐδαιμονεστάτους ἄνδρας γίγνεσθαι, καὶ διαλέγεσθαι δυνατωτάτους. ἔφη δὲ καὶ τὸ διαλέγεσθαι ὀνομασθῆναι, ἐκ τοῦ συνιόντας κοινῇ βουλεύεσθαι διαλέγοντας κατὰ γένη τὰ πράγματα. δεῖν οὖν πειρᾶσθαι ὅτι μάλιστα πρὸς τοῦτο ἑαυτὸν ἕτοιμον παρασκευάζειν, καὶ τούτου μάλιστα ἐπιμελεῖσθαι. ἐκ τούτου γὰρ γίνεσθαι ἄνδρας ἀρίστους τε καὶ ἡγεμονικωτάτους καὶ διαλεκτικωτάτους. Quæ Latine ita reddere uiſum eſt, quanquam maluiſſem interpretatione uulgata iam uti, ſi eſſet ad manum. Solis, inquit, temperantibus eſt datum, quæ optima ſint factu & dictu, uidere & ediſſerere: atq; ex illis bona eligere, à malis uero abſtinere. Atq; ad hunc modum dixit euadere uiros tum optimos, tum beatiſſimos, tum inſtructiſſimos ad diſſerendum. Diſſerere quoq; ex eo dictum aſſeruit, quod deliberantes ſcite in commune, generatim explicent negotia, de quibus conſultatur. Ac proinde par eſſe, ut ſeſe ad eam facultatem homines ſumma ope & meditatione apparent. Inde nanq; fieri optimos uiros, atq; ad imperium, & ad diſſerendum aptiſſimos. Non ſegne ſtudium illi etiam doctrinæ impenderunt ſtoici homines eximie operati omnibus ſcientijs ſpectantibus orationẽ. Paulus quoq; à uiro eccleſiaſtico præcipue hanc facultatem exigit, ut ſit διδακτικὸς, hoc eſt, idoneus ad docẽdum. Quam facultatem Auguſtinus libro 1. contra Creſconium Paulo attribuit, dum eum peritum diſputandi, hoc eſt, uerum à falſitate diſcernendi, oſtendit. Quin etiam Chriſtum uſum eſſe dialectica in diſputationibus aſſeuerat. Et in tertio libro contra academ. dicit Platonem ſapientiſſimum & eruditiſſimum uirum ſui temporis, adiungendo dialecticã antea inuentis & exercitatis partibus philoſophiæ, quaſi formatricem & iudicem illarum partium, quæ uel ipſa eſt ſapientia, uel ſine qua ſapientia omnino eſſe non poſſit, perfectam compoſuiſſe philoſophiæ diſciplinam. Quid dicam de recentioribus ſcriptoribus? Inter quos optimus quiſq; methodi eſt obſeruantiſſimus: monentq; ſinguli, quum occaſio eſt, uiam iſtam in authoribus explicandis monſtrandam eſſe, & admonendum in ſcientijs tradẽdis, quo genere docendi quis uti uelit. Ea propter uiam docẽdi monſtrare hoc loco, ut argumento ualde congruit, ita eſt commendaturum noſtrum opuſculum, ne ſine fructu legatur. Nam methodum ex optimis authoribus inſtituemus, ut in omnibus partibus huius commentarij authores idoneos & rationem ſequimur.

Quæcunq; obijci, aut ſua ſponte in mentem uenire poſſunt, duobus continentur generibus. Alia enim ſunt γνωστὰ & ἐπιστητὰ & καταληπτὰ, hoc eſt, quæ cognoſci & ſciri & percipi poſſunt. Nam hæc omnia unum ſignificãt. Illis autem oppoſita ſunt, quæ nulla ratione humana capi queunt: niſi quum deus, qui ſolus eſt ſapiens abſolute, ut nihil eum lateat, ſingulari ope reuelat atq; patefacit per ſuum uerbũ & ſpiritum. Vnde Paulus apoſtolus ait, ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν, partim cognoſcimus, & partim prophetamus. Et ad Rom. 1. Quod cognoſci de deo poteſt, manifeſtum eſt illis, nempe philoſophis & ethnicis, deus enim ipſis patefecit. Nam quæ in deo cerni haudquaquam poſſunt, puta æterna ipſius potentia & diuinitas, ex creatione mundi, operibus conſideratis perſpiciuntur. Et ad Coloſſ. 2. capite loquens de Chriſti maieſtate ſumma, inquit, ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι, hoc eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis abſtruſi. Et Ioan. in euangelio: Deum nemo uidit unquã, filius, qui eſt in ſinu patris, ille nobis enarrauit. Omnem deniq; facultatem docendi Paulus apoſtolus refert ad cœleſtem gratiam cap. 12. ad Rom. & Epheſ. 4. cap. Quemadmodum & Auguſtinus in libro de magiſtro.

1. Cor. 13.

Ioan. 1.

Mentes quaſi ſui ſunt ſenſus animis, ut inquit Auguſtinus lib. primo ſoliloq. Diſciplinarum autem quæq; certiſſima talia ſunt, qualia illa, quæ ſole illuſtrantur, ut uideri poſſint: ueluti terra eſt atq; terrena omnia: deus autem eſt ipſe, qui illuſtrat. Ratio autem in mentibus, ut in oculis eſt aſpectus. Et intelligibilis quidem eſt deus, intelligibilia etiam illa θεωρήματα, hoc eſt diſciplinarum ſpectamina, ſed tamen plurimum differunt. Quemadmodum & terra uiſibilis eſt & lux, ſed terra niſi luce illuſtrata uideri nõ poteſt. Claud. Galenus in lib. 9. de placitis Hippocratis & Platonis facultatem percipiendi ſimul & diſcernendi res quaſcunq; ita oſtẽdit. Oſtendamus, quomodo principium inuentionis rerum quæſitarum indagari poſſit, commemorantes breuiter ea, quæ pluribus cum alibi, tum in libro de demonſtratione diſſeruimus. Nã ſi nullum in nobis iudicandi principiũ eſt, neq; artificioſum quippiam inuenire poterimus. Si uero naturale id habemus, tum artificioſum inuentu haud erit difficile. Habemus ne igitur naturalia aliqua κριτήρια, id eſt, iudicia cõmunia omnes homines? Neq; enim naturalia appellari conuenit, quæ non omnibus communia fue-

Principia cognitionis.

rint: cum debeant præterquam quod cõmunia ſunt, naturam quoque habere communem. Habere equidem naturalia iudicia omnes nos, aſſero. Atque hoc commonendo potius quàm docendo & demonſtrando, quaſi à me antea dictum, ita profero. Quænam uero ſunt hæc? Oculi, inquam, qui ſecundum naturam affecti ſunt, qui uiſui expoſita uideant: Aures naturali præditæ conſtitutione, quæ auditui obiecta percipiant: Lingua, quæ ſuccos guſtet: nares, quæ odores olfaciant: tota cutis, quæ tactũ mouentia æquabiliter perſentiſcat. Ad hæc mens uel notitia, uel quomodo libuerit nominare facultatẽ eam, qua dignoſcimus, quid conſequatur, quid repugnet, & reliqua quæ ſub his continentur, intelligimus, ſicut diuiſionem & compoſitionẽ, ſimilitudinem & diſſimilitudinem, unde hæc profecta eſt diſſertatio. Vocat autem iudicia uel potius iudicatoria κριτήρια, mentem uero νοῦν & διάνοιαν, & λογισμόν. Et addit, ὡς τῶν αἰσθητῶν αἴσθησις ἐστὶ τὸ κριτήριον, οὕτω τῶν νοητῶν ἑτέρα τις δύναμις, ἣν ὅπως ἄν τις ὀνομάζειν βούληται, συγχωροῦμεν. Vt eorum quę ſenſu percipiuntur, iudex eſt ipſe ſenſus: ita eorum, quæ mente atque cogitatione, altera uis, quam permittimus appellari, ut quiſque uoluerit. Ioan. Damaſcenus in ſecundo libro hominis animam ſinitione explicans, inquit, οὐχ ἕτερον ἔχει παρ᾽ ἑαυτὴν τὸν νοῦν, ἀλλὰ μέρος αὐτῆς τὸ καθαρώτατον. ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, οὕτως ἐν ψυχῇ νοῦς. Item οἰκεία θεῷ ἡ λογικὴ φύσις καὶ νῷ μόνῳ ληπτή. Anima non habet aliam mentem præter ſe, uerum puriſſimam ſui partem. Nam quod in corpore oculus eſt, idem anima eſt mens. Porrò natura rationalis propria dei eſt, & ſola mente capi poteſt. Facultati autem excellentiſſimę, quæ τὸ διανοητικόν dicitur, cuius organum eſt medius uentriculus cerebri, & in eo ſpiritus animalis, hæc tribuuntur, ac ei ueluti adiacentia ſubiecto inhærent, κρίσεις, συγκαταθέσεις, ὁρμαὶ πρὸς τὴν πρᾶξιν, ἀφορμαὶ, ἀποφυγαὶ τῆς πράξεως. Proprie autem, νοήσεις τῶν νοητῶν, καὶ αἱ ἀρεταὶ, καὶ αἱ ἐπιστῆμαι, καὶ τῶν τεχνῶν οἱ λόγοι, καὶ τὸ βουλευτικὸν, καὶ τὸ προαιρετικὸν, καὶ μαντεία. hoc eſt, dijudicatio & diſcretio, collationes, impetus ad actionem, incitationes & occaſiones, fuga & auerſio ab agendo: præcipue quidem cogitationes, de quibus rebus cogitari ſolet, & uirtutes, & ſcientię, artiumque tractatio, nec non uis conſilij, & delectus, & diuinatio.

Quid ars & ſciẽtia. Scientia & ars finitimæ ſunt experiẽtiæ, ut Ariſtot. in 1. lib. metaph. docet: Scientia definitur à bonis philoſophis, ut à Galeno in introductione, γνῶσις ἀραρυῖα καὶ βεβαία καὶ ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου.

Cicero

Cicero totidem propè uerbis explicat lib. 1. academ. quæſtionum. Si quid ita ſit comprehenſum, ut conuelli ratione non poſſit: ſin aliter, inſcientia nominatur, ex quo exiſtit etiam opinio. Itaq; uera ſciẽtia philoſophis adeoq; omnibus hominibus eſt negata, utq; Galenus ait, οὐδ' ὅλως εἰς ἀνθρώπους ἔρχεται. Vnde Paulus inter ampliſſimas laudes maieſtatis diuinæ proclamat, Soli ſapienti deo gloria. Ars iiſdem uerbis propemodum Græcis definitur ab Ariſtotele, Galeno, Luciano, & Hermogene in principio rhetorices. Quæ Latine Cicero in 1. de oratore ſic expreſſit: Artem eſſe nullam, niſi quæ cognitis, penitusq; perſpectis & in unum exitum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus contineretur. Gręca uerba Galeni in introduct. ſeu medico ita ſonant: τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων, καὶ διανοιῶν ποιόν τε καὶ ποσὸν συγγεγυμνασμένον πρὸς ἓν τέλος νευουσῶν χρήσιμον τῷ βίῳ.

Cognitioni autem ſiue artem ſiue ſcientiam uocemus, repugnant ἄγνοια καὶ ἀμάθεια, hoc eſt, ignorantia & inſcitia. Quæ quidem uitia remouere ab animo, dicitur διδάσκειν docere, & eam actionem ſaluberrimã recipere, uocatur μανθάνειν, id eſt diſcere. Vnde matheſis, & mathemata, & mathetes, hoc eſt eruditio & erudimenta & diſcipulus denominantur: ut μαθητὴς diſcipulus, & διδάσκαλος doctor & magiſter, mutuum ſeſe reſpiciãt & connexi ſint, ut neuter ſine alterius ope aut opera fungi poſſit ſuo munere. A doctore autem, hoc eſt διδασκάλῳ, denominatur generalis facultas & ratio tollendi ignorationẽ, & conſtituendi atq; tradendi artes quaſcunq;, aut res illas cuius cuius generis, quę artibus ſolẽt explicari. Plato quidem in dialogo, qui ſophiſta inſcribitur, διδασκαλικὴν appellat. Ariſtoteles διδασκαλίαν, uelut in Nomen
principio analyt. poſter. πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως, hoc eſt, omnis doctrina omniſq; diſciplina intellectiua præexiſtente ex cognitione fit. Vocat methodi.
etiam idem Ariſtoteles μέθοδον, hoc eſt, compẽdiariam, breuem, certam, rectamq; uiam & rationem docẽdi ac diſcendi. Veluti 1. libro top. ait, in eo ſibi opere eſſe propoſitum μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ἔχοντες μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον. hoc eſt, inuenire uiam & rationem, qua poſſimus ratiocinari ex probabilibus argumentis in quauis propoſita quæſtione, utq; ipſi uerba facientes nihil dicamus pugnans ſecum. Et enumerando multiplicem

 uſum topices, ueluti quod conducat ad principia cognoſcēda cū iuſuis ſcientiæ, διαλεκτικὴ γὰρ ἐξεταστικὴ οὖσα, πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει. Dialectica, inquit, quia eſt ad inueſtigandas res peridonea, uiam tenet ad omnium methodorum principia. Eam quoqꝫ doctrinam methodi Ariſtoteles exhibet in libris analyticis, ſed ſubtilius. Hermogenes quoqꝫ tū methodū uocat hanc doctrinam tum didaſcaliam, ut alij etiam rhetores. Galenus methodum appellat cum Ariſtotele, & qui ſequuntur methodum μεθοδικοὺς, abhorrentes autem à methodo ἀμεθόδους. Ad hæc nominat διδασκαλίαν, & διδασκαλίαν τεχνικὴν, & ἐχομένην τέχνης. Cornelius Celſus primo libro de re medica ita explicat: Ex his ſimilibusqꝫ ſæpe curandi noua ratio ducenda eſt. Et poſtea: Horum obſeruationem medicinā eſſe, quam ita finiunt, ut quaſi uiam quandam, quā μέθοδον Græci nominant, eorumqꝫ quæ in morbis communia ſunt, contemplatricem eſſe contendant: at neqꝫ rationalibus ſe neqꝫ experimenta tantū ſpectantibus annumerari uolunt. Cicero fermè rationem & uiam, & institutionē, & artem, & coniuncte rationem ac uiam appellat, ut 1. lib. de off. Omnis quę à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.

Methodus iuris ciuilis.

Quæ autem optima docendi ratio ſit, Cicero docet lib. 1. de oratore: Quoniam de impudentia dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominum atqꝫ inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio iuris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Sed ô dij immortales, non dicerem hoc audiente Scæuola, niſi ipſe dicere ſoleret, nullius artis ſibi faciliorem cognitionem uideri. Quod quidē certis de cauſis à pleriſqꝫ aliter exiſtimatur. Primū quia ueteres illi, qui huic ſcientiæ pręfuerunt, obtinendę atqꝫ augendæ potentiæ ſuę cauſa peruulgari artem ſuam noluerunt. Deinde poſteaquam eſt editum, expoſitis à Cn. Flauio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificioſe digeſta generatim componerent. Nihil eſt enim, quod ad artem redigi poſſit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere uult, habeat illam ſcientiā, ut ex ijs rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Hoc uideo, dum breuiter uoluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcurius. Sed experiar & dicam, ſi potero, planius. Omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerūt; ut in muſicis numeri,

Materia muſices,

& uoces, & modi: in geometria lineamenta, formæ, interualla, ma
gnitudines: in aſtrologia cœli conuerſio, ortus, obitus, motuſq; *geome-*
ſyderum: in grammaticis poëtarum pertractatio, hiſtoriarum co *triæ,*
gnitio, uerborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus. In *aſtrolo*
hac deniq; ipſa ratione dicendi excogitare, ornare, diſponere, me *giæ,*
miniſſe, agere, ignota quondam omnibus, & diffuſa late uideban *gramma*
tur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus ex alio genere *ticæ,*
quodam, quod ſibi totum philoſophi aſſumunt: quę rem diſſolu- *rhetori-*
tam diuulſamq; conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. *ces.*
Sit ergo in iure ciuili finis hic, legitimæ atq; uſitatæ in rebus cau-
ſisq; ciuium æqualitatis conſeruatio. Tum ſunt notanda genera,
& ad certum numerum paucitatemq; reuocanda. Genus autem
id eſt, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem diffe-
rentes duas aut plures complectitur partes. Partes autem ſunt,
quæ generibus ijs, ex quibus emanant, ſubijciuntur. Omniaq;
quæ ſunt uel generum uel partium nomina, definitionibus quam
uim habeant, eſt exprimendum. Eſt enim definitio earum rerum
quæ ſunt eius rei propriæ, quam definire uolumus, breuis & cir-
cumſcripta quædam explicatio. Si enim aut mihi facere licuerit,
quod iam diu cogito, aut alius quiſpiã, aut me impedito occupa-
rit, aut mortuo effecerit, ut primum omne ius ciuile in genera di-
gerat, quę perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quędam
membra diſpertiat: tum propriam cuiuſq; uim definitione decla-
ret, perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam atque
uberem ꝙ difficilem & obſcuram. Atq; interea tamen dum hæc
quæ diſperſa ſunt, coguntur, uel paſſim carpentem & colligen-
tem licet undiq; repleri iuſta iuris ciuilis ſciẽtia. In oratore quoq;
de muneris oratorij natura differẽs oſtendit, ut rerum natura me
thodicôs declaretur. Quoniam cauſam quoq; oſtendimus, natu-
ram nunc, id enim erat tertium, ſi placet, explicemus. Quæ diſpu
tatio nõ huius inſtituti ſermonis eſt, ſed artis intimæ. Quæri enim
poteſt, q ſit orationis numerus, & ubi ſit poſitus, & natus ex quo,
& is unus ne ſit an duo, an plures, quaq; ratione componatur, &
ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibi
tus aliquid uoluptatis adferat. Sed ut in pleriſq; rebus, ſic in hac
duplex eſt conſiderandi uia: quarum altera eſt longior, breuior al
tera, & eadem etiam planior: & reliqua. Fabius Quintil. lib. 1. in-
ſtit. orat. de officio grammatici loquens, ait: Et finitæ quidem ſunt

Digitized by Google

 partes duæ, quas hæc profeſſio pollicetur, id eſt ratio loquendi & enarratio authorum: quarum illam methodicen, hanc hiſtoricen uocant. Methodicen uocat recte loquendi ſcientiam. Eam uiam rectam & compendioſam ingreſſi ſunt Priſcianus, Rhemius Palæmon, Diomedes, Caper, Focas, Donatus. Quorum artes ſi quis componat cum grammatiſtarum & literatorum nænijs, facile apparebit, quid interſit inter compendium docendi, atq; inter diſpendia & diuerticula & ambages minime tritas à ratione uera docēdi. Ac in dicendo quãti referat methodum obſeruare idem Fabius oſtendit lib. 10. ubi docet, quo pacto extemporalis dicendi facultas paretur & contineatur. Qui uero patitur hoc ratio, ut quiſquam ſit orator imparatus ad caſus? Quid, cum aduerſario reſpondendum erit, fiet? Nam ſæpe ea quæ opinati ſumus, & contra quæ ſcripſimus, fallunt, ac ſubito cauſa mutatur. Atqui ut gubernatori ad incurſus quoq; tempeſtatum, ſic agenti ad uarietatem cauſarum ratio mutanda eſt. Quid porrò multus ſtylus, & aſſidua lectio, & longa ſtudiorum ætas facit? ſi manet eadem, quę fuit incipientibus difficultas? Perijſſe profecto confitendũ eſt prę teritum laborem, cui ſemper idem laborandum eſt. Neq; ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, ſed ut poſſit. Id autem maxime hoc modo conſequemur. Nota ſit primũ dicendi uia. Neq; enim prius contingere curſus poteſt, quàm ſcierimus, quo ſit, & qua perueniendum. Nec ſatis eſt, non ignorare, quę ſunt cauſarum iudicialium partes, aut quæſtionũ ordinem recte diſponere, quanquam iſta ſunt præcipua. Sed quid quoq; loco primum ſit, quid ſecundum, ac deinceps. Quæ ita ſunt natura copulata, ut mutari aut interuelli ſine cõfuſione non poſſint. Quiſquis autem uiam, qua ſit ingrediendum, diſcet, ducetur ante omnia rerum ipſa ſerie uelut duce. Propter quod homines etiã modice exercitati facillime tenorem in narrationibus ſeruant. Deinde quid quoq; loco quærant, ſcient, nec circumſpectabũt, nec offerentibus ſe aliunde ſenſibus turbabuntur: nec confundent ex diuerſis orationem uelut ſalientes huc illuc, nec uſquam inſiſtentes. Poſtremo habebũt modum & finem, qui eſſe citra diuiſionẽ nullus poteſt. Expletis pro facultate omnibus, quæ propoſuerint, perueniſſe ſe ad ultimum ſentient. Et hæc quidem ex arte: illa uero ex ſtudio, ut copiam ſermonis optimi, quemadmodũ præceptum eſt, comparemus. Multo ac fideli ſtylo ſic formetur oratio, ut ſcriptorũ colorem etiam,

Methodus in dicēdis cauſis.

quæ

quæ ſubito effuſa ſunt reddāt: ut cum multa ſcripſerimus, etiam multa dicamus.

Exemplis aliquot propoſitis, iam liquere poteſt, quid nam ſit genus artificioſe docendi, & quantū referat id tenere. Quod defi niri ex Platonis ſententia poteſt, ſcientia & facultas remouendi ignorantiā alicuius rei atq; inſcitiam. Vel ut dicatur, ſcientiarum & artium, & diſciplinarum ratio & uia, & ordo apte & concinne à prioribus ad poſteriora progrediens. Eam doctrinā quia luculenter & breuiter Galenus tradidit, huc tranſcribam eius ſententiam Latinis maxime uerbis, aliquando etiam Græcis, quum id res poſtulabit. In opere quidem de ſuis libris teſtatur, ſe ſcripſiſſe librum de ijs, quę propria uel communia ſunt artibus: tres autem libros περὶ τῆς τῶν τεχνῶν συστάσεως, ut artes cōſtitui debeant. Ad Patrophilum autem ſcribens, ait, θεῖον γὰρ πεπονθέναι πάθος ὀρεγόμενος ἅπαντα σὺν ἀποδείξει καὶ μεθόδῳ μανθάνειν, hoc eſt, diuino quodam affectu præditum uideri, quod cupiat omnia cum demonſtratione diſcere. Eiq; gratulatur, quod principium quoddam uiæ ducentis ad ueritatem inuenerit: pollicens obſecuturūſe ipſius uoluntati & ſtudio indagandæ ueritatis, ut ſcribat ei duos libros, alterum in quo futurus artifex ſeſe exerceat, quod ueteres philoſophi dictitant, cuiuſlibet artis conſtitutionem à finis notitia proficiſci, qui rurſum in duos diuidatur: alterum, quomodo una eademq; methodus, ut artes alias uniuerſas, ita medicam quoq; conſtituat. Velut ipſius Galeni uerbis explicem, τὸ πάσῃ τέχνῃ τὴν σύστασιν ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ τέλος ἐννοίας γίγνεσθαι. alterum eſt, ὅπως, ἡ αὐτὴ καὶ μία μέθοδος ὥσπερ τὰς ἄλλας ἁπάσας τέχνας οὕτω καὶ τὴν ἰατρικὴν συνιστήσετο. Atq; in libro περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, hoc eſt, de optimo genere docendi, quo refellit ἐποχὴν, i. aſſenſus retentionem, quā & ἀοριστίαν uocat, i. ut nihil certi ulla de re ſtatuatur, Pyrrhoniorum & recentiorum Academiacorum ſophiſtarum, contra quos & Auguſtinus noſter ualide pugnauit, multis oſtendit hāc doctrinam & utilem & neceſſariam ad ueritatis adeptionem. Ex quibus hæc uidentur maxime ſpectare ad noſtrum propoſitum. At ego polliceor, inquit Plutarchus, Eraſmo Roterod. interprete, me traditurum tibi quædam, quæ reſpondeant inſtrumentis, quæ fiunt ab arte: ex quibus inuenies quod quæris: alia uero reſpondentia iudicijs, ex quibus iudicabis, an uere tibi uidearis inueniſſe. Hæc autem ubi didiceris, multis exemplis exercebo te, ut

Quid ſit methodus.

& celeriter & exacte inuenias, iudicesq́ quod quæris: ut poſthac nec ullo libro futurum ſit opus ad inuentionem ueri, nec alia doctrina. Mox & alijs dicentibus aliquid eorum, quæ cupis inuenire, facile poteris cognoſcere. Etenim qui cognouit rectam uiam rectam eſſe, non eget alia doctrina ad redarguendum eos, qui ab errant. Ita qui rectam demonſtrationis uiam perdidicerit, protinus cum hac nouit uias erroneas. Et paulò poſt: Si nihil eſt euidens intellectui aut certum ex ſeſe, perijt omne rerum iudicium. Contrà ſi eſt quidem uelut oculus in corpore, ſic intellectus in animo, non tamen omnibus pariter acutus, conſentaneum eſt, ut quemadmodum qui cernit acutius, adducat ad id, quod uidetur eum, cui uiſus eſt hebetior: ita quibus contigit in rebus intelligibilibus perſpicere clare, quod offertur intellectui, adducant ad contemplationem eandem, maximè cæcutientem. Atq́ hoc eſt præceptoris officium, ut inquit Plato, & ego aſſentior.

Quid diſcipulus adſerre debeat.

Iam quum ſit officium doctoris, eam rem quam docere uult, nouiſſe, & non ignorare methodum, & animum egregium habere, ut ſtudeat uera & utilia docere, idq́ facere ſumma cum fide ac diligentia & prudentia: ita uiciſſim à diſcipulo quædam officia iure præſtãtur, ut doctrinæ fructum percipiat in medicina & alijs præclaris ſcientijs. Galenus quidem ſeptem requirit in opere de conſtitutione artis medicæ: ἑπτὰ, inquit, ἐστὶν, ἃ χρὴ συνελθεῖν, ἵνα ζητῶν ὁστισοῦν τις ἤτοι γνῷ τ' ἀληθὲς, ἢ μὴ γνοὺς οὐκ ἀπαγνῷ τῆς εὑρέσεως. Septem res oportet conuenire, ut quis in perueſtigatione rerum aut uerum cernat, aut ſi adhuc ignorat, non deſperet ſe inuenturum: natura perſpicax, inſtitutio à pueris in primis diſciplinis, præſertim in arithmetica & geometria, ut Platoni probatur: optimis præceptoribus operam nauare: laboris eſſe patientiſſimum, ut nihil meditetur præter diſciplinas: ueritatẽ expetere, quod pauciſſimi ſerio faciunt, eiq́ ſoli ſtudere, neglectis ijs, quæ uulgus miratur: methodum ediſcere, qua uerum à falſo diſcernitur: methodum illam exercere, ut non modo noueris, ſed etiã poſſis exercere. Quæ ſolent ab alijs non male ad tria capita redigi, ut natura ſit idonea, ut artis inſtitutio adhibeatur ingenio ueluti cultura, ut aſſidua exercitatio perficiat ſcientiã. Auguſtinus in lib. 2. ſoliloq. ad deum cognoſcendum & alias res, tria etiam requirit, ut oculus mentis ſit purus, ut uelit aſpicere, ut recte aſpiciat: quæ eſt perfecta iam ratio & uirtus. Quæ quidem Auguſtini ſententia, quum habeat

utiliſſi-

utiliſſimam ſpeculationem ad cognoſcendas res tam diuinas, ꝗ alias quaſcunq;, ad uerbũ ſubijciam. Adducor ut aſſentiar quantum in ſuo genere terrã, tantum ab intelligibili dei maieſtate ſpectamina illa diſciplinarum uera & certa differre. Bene moueris. Promittit enim ratio, quę tecum loquitur, ita ſe demonſtraturam deum tuæ menti, ut oculis ſol demonſtratur. Nam mentes quaſi ſui ſunt ſenſus animis, diſciplinarum autem quæq; certiſſima talia ſunt, qualia illa, quæ ſole illuſtrantur, ut uideri poſſint, ueluti terra eſt atq; terrena omnia: deus autem eſt ipſe qui illuſtrat. Ego autem ratio ita ſum in mentibus, ut in oculis eſt aſpectus. Non enim hoc eſt habere oculos, quod aſpicere: aut item hoc eſt aſpicere, quod uidere. Ergo animæ tribus quibuſdam rebus opus eſt, ut oculos habeat, quibus iam bene uti poſſit, ut aſpiciat, ut uideat. Oculus animæ mens eſt ab omni labe corporis pura, id eſt, à cupiditatibus rerum mortalium iam remota atq; purgata. Quod ei nihil aliud præſtat quàm fides primo. Quod enim adhuc ei demonſtrari non poteſt uitijs inquinatæ, atq; ægrotanti, quia uidere nequit niſi ſana, ſi nõ credat aliter ſe non eſſe uiſuram, non dat operam ſuæ ſanitati. Sed quid ſi credat quidẽ ita ſe rem habere, ut dicitur, atq; ita ſe, ſi uidere potuerit, eſſe uiſuram, ſanari ſe tamen poſſe deſperet? Nónne ſe prorſus abijcit atq; cõtemnit, nec pręceptis medici obtemperat? Omnino ita eſt, præſertim quia ea præcepta neceſſe eſt, ut morbus dura ſentiat. Ergo fidei ſpes adijcienda eſt. Ita credo. Quid ſi & credat ita ſe habere omnia, & ſe ſperet poſſe ſanari, ipſam tamen, quæ promittitur lucem, nõ amet, non deſideret, ſuiſq; tenebris, quæ iam conſuetudine iucundæ ſunt, ſe arbitretur debere interim eſſe contentam, nónne medicum illum nihilominus reſpuit? Prorſus ita eſt. Ergo tertia charitas neceſſaria eſt. Nihil omnino tam neceſſarium. Sine tribus iſtis igitur anima nulla ſanatur, ut poſſit deum ſuum uidere, id eſt intelligere. Quum ergo ſanos habuerit oculos, quid reſtat? ut aſpiciat. Aſpectus animæ ratio eſt. Sed quia non ſequitur, ut omnis qui aſpicit, uideat, aſpectus rectus atque perfectus, id eſt, quem uiſio ſequitur, uirtus uocatur. Eſt enim uirtus uel recta *Virtus.* uel perfecta ratio. Sed & ipſe aſpectus quamuis iam ſanos oculos conuertere in lucem non poteſt, niſi tria illa permaneant, fides qua credatur ita ſe rem habere, ad quam conuertendus aſpectus eſt, ut uiſa faciat beatũ: ſpes, qua cum bene aſpexerit, ſe uiſurum

eſſe præſumat: charitas qua uidere perfruiq; deſideret. Iam aſpe-
ctum ſequitur ipſa uiſio dei, qui eſt finis aſpectus, non quod iam
non ſit, ſed quod nihil amplius habeat, quo ſe intendat. Et hæc eſt
uere perfecta uirtus, ratio perueniens ad finem ſuum, quam bea-
ta uita conſequitur. Ipſa autem uiſio intellectus eſt ille, qui in ani-
ma eſt, qui conficitur ex intelligente, & eo quod intelligitur. Vt
in oculis uidere, quod dicitur, ex ipſo ſenſu conſtat atq; ſenſibili,
quorum detracto quolibet, uideri nihil poteſt.

Et eandem uiam eſſe ad cognitionem rerum & theorematum
artificioſorũ, ex antedictis patet. Quibus nõ erit ſuperuacaneum
adijcere Hippocratis ſententiam explanatam à Galeno in ultimo
libro de placitis Hippocratis & Platonis. Et cohæret cum ijs, quæ
ex Galeno dicta ſunt antea de mente. Similia ne an diſſimilia ſint
quædam, à principio ex maximis facilimisq; percipi poteſt, ex ijs
utiq;, quæ ab omnibus ubiq; cognoſcuntur, quæ uideri audiriq;
poſſunt, quæ uiſu, naribus, lingua, mente ſentiuntur: quibus o-
mnibus cognitio noſtra conſtat. Ad quæ ſubijcit Galenus: Opor-
tet, inquit, ad ſimilium diſſimiliumq; exactam dignotionem per-
uenire, principio inuentionis à naturalibus iudicijs, hoc eſt, ſenſu
& ratione ſumpto. Licet autem, id quod ſæpenumero à me dictũ
eſt, cogitationem, mentem, rationem, uel quomodocunq; uolue-
ris, appellare: & tamen eadem Hippocratis ſententia ſeruabitur.
Quemadmodum enim ſenſus rerum, quę ſenſui ſubijciuntur, iu
dicium, id eſt, κριτήριον eſt, ita intelligibilium aliam quandam eſſe
facultatem manifeſtũ eſt, quam uocare utcũq; libuerit unicuiq;,
Sermonis finis & uſus. permittimus, ne maius corollariũ opere ipſo efficiamus. Vtimur
enim nominibus, & demum mutua inter nos locutione, ut opinio
nes animæ, quas ex rerum naturæ contemplatione concepimus,
nobiſipſis explicemus. Quare omiſſa re uelle de nominibus cer-
tare, ridiculum eſt. Quo igitur modo inueniri poſſe rerum natu-
ram inquit Hippocrates? Si à maximis facilimisq; exordiamur,
maximis inquam uſu, facilimis autem quo ad noſtram cognitio-
nem. Natura ſiquidem utraq; hæc nobis largita eſt, & ipſa κριτή-
ρια iudicia uel potius iudicatoria, & πίστιν fidem, quam ſine ulla di
ſciplina iudicijs adhibemus. Iudicia ſunt inſtrumẽta ipſa ſenſuũ
& facultates, quę inſtrumẽtis utuntur. Fides, perſuaſio, aſſenſus,
ſine ulla doctrina, duce natura ineſt non tam hominibus, quàm
omnibus alijs animantibus. Nam cum accedentem aliquem uide
rint,

rint, aut ſtrepitum, uocémue audiuerint, confeſtim ſi maius eſt id animal, quod accedere conſpexerint, aufugiunt: quieta uero permanēt, ſi minus imbecilliusq́ aduentare ſenſerint. Si quis autem non credit ijs, quæ per ſenſum & intellectionem euidenter patēt, uanum erit cōſtitutioni alicuius artis operam nauare. Sin artium effectus uitæ humanæ utiles eſſe cognoſcuntur, de ipſis prorſus naturalibus iudicijs credentes homines iudicaſſe neceſſum eſt. Nosq́ illis eatenus ſumus feliciores, quod ea, quę illi longo temporis ſpatio, multis laboribus curisq́ inuenerunt, breui tempore diſcimus. Quod ſi poſthac nō negligēter artes excolere, et ſimiliū diſſimiliumq́ diſcretioni aſſiduam operā ſtudiumq́ impendere uoluerimus, nihil uetabit, quo minus ueteribus meliores eruditiores q́ efficiamur.

Quot methodi.

Proinde quot formæ ſint methodorum, & quæ uniuſcuiuſq́ natura diſpiciamus, prę ſertim ex Galeni doctrina, qui abſolutius eas & breuiter & magis perſpicue tradidit, q́ quiſquam alius. In principio libri, cui titulum fecit τέχνη ἰατρική, inquit, τρεῖς εἰσὶ αἱ πᾶσαι διδασκαλίαι τάξεως ἐχόμεναι. Tria ſunt omnino genera docendi, quæ ſeruant ordinem & aptam ſcitamq́ progreſſionem à principio ad finem, à prioribus ad poſteriora. Totidem τρόπους διδασκαλίας numerant Græci rhetores ἀνάλυσιν, σύνθεσιν, διαίρεσιν, reſolutionē, compoſitionē, diuiſionē: aut κατ' ἀνάλυσιν, ἢ κατὰ σύνθεσιν, ἢ κατὰ διαίρεσιν, per diſſolutionem, conſtructionem, partitionem: aut λόγον σύνθετον, ſermonem atq́ orationem compoſitiuam, reſolutiuam, definitiuam. Quanquam Hermogenes partem elocutionis etiam aut ideæ & formæ orationis uocat μέθοδον. Omnem enim orationem dicit habere octo res, ἔννοιαν, μέθοδον, λέξιν, σχήματα, κῶλα, συνθέσεις, ἀναπαύσεις, ῥυθμόν.

Methodus 1.

πρώτη μὲν διδασκαλία ἡ ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας κατὰ ἀνάλυσιν γινομένη. Prima methodus & doctrina fit per diſſolutionem ex conſideratione finis. Eſt enim uia docendi, quum à fine ad partes progredimur, utq́ Ioan. Sturmius explicat, Ratio eſt & uia, qua propoſito fine eius, quod artificioſe & ſcienter explicandū eſt, omnia ordine adiungimus, quæ ad eum finem pertinent. Qua methodo abſoluit Galenus librum de artis medicæ conſtitutione. Illaq́ methodo cōſtitui artes omnes teſtatur hiſce uerbis, οὐδεὶς μὲν δὴ γε τῶν πρὸ ἡμῶν ἔγραψε τὴν ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας ἀρχομένην διδασκαλίαν, ἐξ ἧς αἱ τέχναι πᾶσαι συνίστανται. Ceterū explicaturus artem

 medicinæ methodicôs Patrophilo id obnixe petenti, iubet princi
pio finem artis inſpicere. Quum uero uſus & finis artium ſit mul
tiplex, quod nonnullæ in ſola contēplatione rerum naturæ con-
ſumūtur, ut aſtronomia, arithmetica, phyſiologia: nonnullæ actio
nem peragūt, uel ut opus aliquod & δημιούργημα exhibeant, ut tex
toria, fabrilis, uel ut poſt actionem nullum opus relinquatur, ut
in ſaltatoria: quædam corrupta & uitiata reparant, ut quę laceras
ueſtes & calceos pertuſos reſarciunt, quæq́ domus partes uitia-
tas aut collapſas reſtituit: quædam in acquirendo & parando fi-
nem habent, ut piſcatoria, uenatoriaq́: quia finis artium uarius
eſt, docet ex deſyderio ægrotantis, qui cupit nihil æque, q̃ ut uale
tudo reſtituatur, medicinam ſimilem ædificatoriæ, quæ uitiata &
perdita inſtaurat ac reficit. Deinde neceſſarium eſt partes & par-
ticulas etiã minimas cognoſcere, quot ſint numero, qua ſubſtan-
tia, magnitudine, figura, & quomodo inter ſe collocatæ atq; com
poſitæ. Id cognoſcitur ex anatome & ſectione corporis, quæ par-
tes ſimilares oſtēdit, ut carnē, oſſa, ſanguinē, &c. & diſſimulares
atq; organicas, ut oculum, manum, crus. Tum ſpectandæ ſunt
functiones partium, ut oculi quod cernit, cruris inceſſus. Quę in-
terdum ſunt duplices, actiones propriæ, & per accidens. Si actio
fuerit amiſſa aut uitiata, medicinę utiq; fuerit quoad natura fert,
in priſtinum ſtatum reducere. Vbi ſi unitas fuerit ſoluta in corpo
re, non ſolum affectio uitioſa erit, ſed etiam morbus iam, ut uul-
nus, fractura, ophthalmia, febris aliaq́ morborũ genera. Vbi &
corpus quodammodo morbi, & ſymptoma & cauſa perpēditur.
Oportet autem facultatem naturalem oblæſam eſſe, unde actio
proficiſcitur, ad quam facultas alimētorum etiam ſpectat. Facul-
tas læſa eſt, quia corporis temperamentũ eſt uitiatum. Quod con
ſtat ex natura terrea, aquea, aëria, ignea: quibus inhærēt proprie-
tates ſuæ, calidum, frigidum, ſiccũ, humidum. Quæ ſunt elemen
ta, in quæ ad extremum deſinit reſolutio. Ea ſi quis ordine expli-
cet, medicinam reſolutoria methodo explicabit.

Methodus 2. δευτέρα μέθοδος ἡ ἐκ συνθέσεως τῶν κατὰ τὴν ἀνάλυσιν εὑρεθέντων. Se
cunda methodus cõſtat ex eorum, quæ diſſolutione reperta ſunt,
conſtructione. Ordo eſt & uia docendi ſuperiori aduerſa, quum
ab inferioribus orſi deinceps ad ſuperiores partes progredimur,
donec ad finem propoſitũ fuerit peruentum. Veluti ſi artem me-
dendi explicaturus ſumat exordium ab elementis: indeq́ ad tem
peramentum

peramentum aſcendat: inde ad facultates naturales actionũ, ad morbos, ad actiones partiũ, parteſq; progrediatſ, ſingulatim oſtendens medendi rationem, quæ partibus male affectis adhibetur, methodo conſtructiua utetur. Quæ rebus tradendis percommoda eſt, & præfertur ei, quæ ſequitur, tametſi naturæ omnium rerum explicandæ ualde ſeruit. Ideoq; Galenus eam uiam artificioſam ingreditur in pleriſq; ſuis libris, ut peritiſſimi harum rerum pronunciant.

τρίτη ἡ ἐξ ὅρου διαλύσεως, Tertia methodus eſt ex definitionis reſolutione. Vocatur autẽ & alijs nominibus. Sic enim ſcribit Galenus: καλεῖν δ' ἔξεστι τὴν τοιαύτην διδασκαλίαν οὐ μόνον ὅρου διάλυσιν, ἀλλὰ καὶ διάπτυξιν, ὥς τινες ὠνόμασαν, ἢ ἀνάλυσιν, ἢ διαίρεσιν, ἢ ὡς ἕτεροί τινες, ἐξάπλωσιν, ἢ ἐξήγησιν, ὡς ἄλλοι. i. licet huiuſcemodi doctrinam appellare non tantum diſſolutionem definitionis, ſed etiam explicationem, ut nonnulli uocarunt, uel reſolutionẽ, uel diuiſionem, uel explanationem, ut nonnulli, uel expoſitionem, ut alij uocarunt. Eam Ioachimus Perionius non inſcite explicat. Diuiſionis ordo eſt, quum primo id, de quo quęritur & diſputatur, definitione declaratur, deinde in ſuas formas diſtribuitur, rurſusq; formarum diuiduntur formæ, quoad diuidi poſſunt. Huius methodi exemplum eſt, quod ex Cicerone ſupra poſitum eſt de iuriſprudentia. Et Galenus illi methodo, ut ipſe teſtatur, incumbit in arte medica, uel ut appellari etiã ſolet, in μικροτέχνῃ. Definit enim medicinam ſcientiam ſalubrium & inſalubrium, & quæ neutrum horum ſunt. Ea quæ ſint explicat. Tum de ſignis horũ, tum de corporis partibus & differentia, & actionibus. Poſt hæc de cauſis ſalubrium, inſalubriũ, neutrorum. Quibus ſubijcit uariam curandi rationem, ut pellantur morbi, & bona ualetudo reducatur, ut præſeruentur homines à morbis, ut conualeſcentes ac ſenes tractandi ſint. Ea methodo Cicero utitur in libris de officijs, de natura deorũ, de partitionibus oratorijs, & in pleriſq; libris, quos ſcripſit de philoſophia. Nec non Plato eam methodon præcipue ſecutus eſt. Quam Galenus ita commendat in libro paulò ante citato, ἐνταῦθα ὁρικὴν ποιησόμεθα διδασκαλίαν. ὅσον γὰρ ἀπολείπεται τῆς κατὰ ἀνάλυσιν ἀξιώματι καὶ μεθόδῳ, τοσοῦτον πλεονεκτοῦσαν εὑρήσομεν εἰς σύνοψίν τε τοῦ ὅλου, καὶ μνήμην τῶν κατὰ μέρος. εὐμνημόνευτα γὰρ ἱκανῶς ἐκ τῆς τοῦ ὅρου διαλύσεως ἅπαντα, διὰ τὸ περιέχειν ὅλης τῆς τέχνης ἐν ἑαυτῷ τὰ κεφάλαια τὸν ἄριστον ὅρον, ὅν περ τινὲς καὶ οὐσιώδη ὀνομάζουσιν, ἀντιδιαι

Metho-dus 3.

 γόμενον τοῖς ἐννοηματικοῖς προσαγορευομένοις. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων οἷς ὁρίζονται πράγμασιν, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς οὐσίας αὐτῆς συνίστανται. Quæ Nicol. Leonicen. ita uertit: Hic uero diffinitiuam faciemus doctrinam, quæ quantum ab ea, quæ ex reſolutione conſiſtit, & dignitate & ipſo docēdi ordine linquitur, tantū & ad totius compendium, & ad ſingulorū memoriam præſtare inuenietur. Sufficienter enim facilime memoriæ commendantur ex diffinitionis diſſolutione uniuerſa. Quoniam totius artis capita in ſe optima diffinitio complectitur, quàm quidam ſubſtantialem uocant, ex aduerſo diſtinguentes alijs, quæ notionales appellantur. Illę ſiquidem ab his, quę accidunt rebus diffinitis, hæ uero ab ipſa eſſentia conſtituuntur.

Non prætermittere illud quoq; debeo, quod magni authores aliquando uidentur methodum à dialectica ſeparare, aliquando cum ea coniungere. Nam Ariſtoteles utiq; ſeparat, quū topicen, quæ eſt pars dialectices, utilem dicit ad methodon, & dialecticam inueſtigatricem ad omnium methodorū principia uiam tenere. Galenus quoq; in methodo artis medicæ iubet Theſſalum iudices conſtituere non idiotas & artium ſellulariarum opifices, ſed ἄνδρας παλαιούς, διαλεκτικούς, ἐπιστημονικούς, ἀληθὲς καὶ ψευδὲς διακρίνειν ἠσκηκότας, ἀκόλουθον καὶ μαχόμενον, ὡς χρή, διορίζειν ἐπισταμένους, ἀποδεικτικὴν μέθοδον ἐκ παίδων μεμεληκότας: hoc eſt, Viros ueteres, dialecticos, ſcientijs inſtructos, qui exercitatione multa uerum & falſum didicerint ſecernere, quiq; ſciant conſentanea & pugnantia diuidere, quemadmodū oportet, nec non meditatos à pueris methodum demonſtratiuam. Rurſum eodem lib. I. de medendi methodo contra eoſdem Theſſalicos, quòd nec geometriā, nec arithmeticā, nec dialecticen, nec reſolutoriam, nec deniq; logicam ullam ſpeculationem attigerint. Tecum uero, inquit ad Hieronem, omnem deinceps ſermonem conferam ipſis uſus methodis, quas in commentarijs de demonſtratione tradidi. Quippe non ſolum principia omnis demonſtrationis eſſe ea, quæ tum ſenſui tum intelligentiæ manifeſte ſe exhibent, ſed etiam in omni re quęrenda nomen ipſum adſumi in diſputationem oportere, in illis docuimus. Nunc neutrum præcipere ſtatui, nec quemadmodum inuenire, nec quemadmodum demonſtrare conueniat: ſed ijs qui didicerunt, & exercitati ſunt, ſimul aliquem laboris opportunū fructum reddere, inuenta nimirum nō tenui re, quam nunc inſtituimus,

mus, ſimul ſi qui ſunt, quibus artium maxima cordi eſt, quę circa animum hominis uerſatur, ipſos quoq; in minoribus exercitare. Quippe id tenaciter ſeruare in omni methodo oportet, ut in ea te multis ſæpe leuioribus problematis prius exerceas quàm maioribus manum admoueas. Rurſum cum logica uidetur idem Galenus methodum connectere, uelut eodem loco, quando ſubdit: Qua igitur ratione id methodo inueniamus? Qua nã alia, niſi ea, quam in libris de demonſtratione præcepimus? Nempe ut de notione ipſa prius conueniat, quum ſine hac propoſitæ rei ſubſtantiam inuenire non liceat. Subinde quoq; uocat methodos logicas. Et requirit ad methodum peritos artis demonſtrãdi. Philippus quoq; Melanchthon dialecticam ea definitione complectitur, quæ planè methodo congruit, ut ſit ars ac uia docendi: nec aliud eſſe quàm methodũ docendi aſſerit, nec aliud officium habere, quàm ut doceat: quod fiat definiendo, diuidendo, argumentando. Quæ mihi controuerſia dirimi uidetur ab ipſo Galeno, quum in primo libro methodi ait, ut Linacri uerbis Latinis utar: Ergo methodo quippiam inquirere inuenireq; ex aduerſo opponitur ei, quod eſt fortuito temereq; reperire. Eſt autem id cum uia quadam & ordine, ita ut in diſquiſitione aliquid primum ſit, aliquid ſecundum & tertium & quartum, atq; ita de reliquis deinceps, quoad demũ ad ipſum quod ab initio eſt propoſitũ, ſit peruentum. At empirici quidem rationabiliter ingenueq; fatentur, nec inueniendi nec docendi apud ipſos eſſe neceſſarium ordinem. Nam nec arte ulla rationéue experientiam niti, imò unius fortunæ fauorem ad ea, quę quærit, inuenienda requirere. Qui uero rationem inuentionis ſuæ autorem ſtatuerunt ac ordinem, unamq; uiam, quæ ad finem ducat, propoſuerunt: ijs fuerat quidem neceſſarium à primo aliquo auſpicatis, de quo inter omnes homines conueniret, ſic tranſire ad reliqua: & quæ ſequuntur. Ex quibus uerbis nec non ex ipſa natura methodi colligo, id eſſe in logicis methodum, quod rhetori eſt partim diſpoſitio, partim iudicium aut delectus. Quum enim omnis ratio diligens diſſerendi habeat duas partes, inueniendi artem, quæ topice dicitur, & iudicandi, quæ dialectice: methodus præſcribit, quos indices & locos potiſſimum excutiamus in ſcrutatione rerũ, & quo collocemus ordine inuenta, ſiquid artificioſe & ſcite ſit explicandum. Interim uero adhibet definitiones nominum & rerum, & diuiſiones atq; partitiones, & demonſtrationes,

 nec nō ſyllogiſmos. Quibus ſi adhibeatur proprietas uerborum, & perſpicuitas, & cautio, ne barbariſmus atq; ſolœciſmus orationem uitient: adhibeaturq; ex præceptis rhetoricis cultus, elegantia, ſplendor, copia uerborum & ſentētiarum, exemplo Platonis, & Ariſtotelis, & Galeni, & Plinij, atq; ſimilium authorum, & efficietur tum explicatio artium, tum cuiuſuis rei, quæ animo comprehendi, & cum fructu atq; uoluptate aliqua percipi poſſit.

Qua methodo rectiſsime componatur linguæ cuiuſuis organum.

EXpoſita ratione explicandi artes & indagandi res quaslibet, ut ad propoſitum argumentum exiſtimaui pertinere, quam diligentiam meam ſpero non ingratam fore ſtudioſis, reliquū eſt, ut indicetur, quanam potiſſimum uia & ratione docendi utatur, qui uelit plenis iuſtisq; commentarijs totam aliquam linguam ſcite comprehendere. Pleroſq; Latinos grammaticos uideo ſynthesim adhibere, ut à literis aut etiam à uoce ad conſtructam orationem, quæ iam plene ſententiam animi exprimit, progrediantur. Id quod rationi & ſermonis ipſius naturæ aperiendæ cenſeo apprime conuenire. Cuius perfectionem iudico eloquentiam, hoc eſt ornate atq; copioſe loquentem ſapientiam, ut ſummus orator definiuit. Eius uero negotij & tractationis, utq; Græci dicunt πραγματείας, exordium ſumetur ab inſtrumentis humanæ uocis, & ſcriptionis aut literaturæ, non ut iliada & belli Troiani expoſitionem ordiamur ab ouo, ex quo Helena prodijt, ſed ut explicationem rationis à fundamentis & principijs naturæ auſpicemur. In quibus ipſam magiſtram optimam leges & regulas tum recte loquendi, tum ſcribendi poſuiſſe animaduertet, quemcunq; non piguerit ea de re paulò diligentius cogitare. Itaq; dicendum erit principio de lingua & ore cæterisq; partibus corporis humani, quibus uox promitur: mox de ſtylo & calamo, & alijs inſtrumentis ſcriptorijs: tum de uoce, literis, ſyllabis, dictionibus, oratione grammatica, dialectica, oratoria: deniq; de ipſa eloquētia, & quę ab ea ſeparari nullo modo poteſt, ſapientia. Quæ quum ſit omnibus neceſſaria, ad omnes pertineat, ab omnibus ſanæ mentis hominibus ubiq; gentiū deſideretur, ſummatim aliquot linguarum uocibus comprehēdetur. Ante omnia quidem explicari oportet finem linguarum, qui non alius erit in ſingulis idiomatis, q; ſermonis

monis finis tum fuit, quum eſſet una omnibus hominibus lingua cõmunis. Deinde, quid ſermo, quid dialectus ſit, definitione aperietur. Mox genera, partes ſermonis & linguarũ conſiderabunt. E quibus ſeſe proferet linguarum conuenientia & diſcrepantia, quidq́ duæ aut plures dialecti habeant inter ſe commune aut diuerſum. Iam in ſingulis partibus aut etiam particulis inquiritur quiddam rectum, quod iure ab omnibus probetur, qui mente ac ratione ualent. Cui opponitur uitium. Vtrunq́ uero non temere iudicabitur, ſed ad certas & fixas leges: quæ ſint regulæ principes et generales in omnibus linguis, puta quid natura dictet, quid neceſſitas, utilitas, delectatio, conueniẽtia ſimilium & æqualium, quæ analogia dicitur: quantum authoritas eruditorum, conſuetudo uulgi, antiquitas, aut nouitas momẽti iure habeat. Quid tribuendũ arti grammaticæ, dialecticæ, rhetoricæ uideatur, quibus uis & uſus ſermonis atq́ rationis explicatur. Quæ quidem reſolutionis uia inueſtigantur principio, ut mox per ſyntheſim compoſita rationem communem literarũ & linguarum omnium abſoluant atq́ perficiant. Ea quidem placet illa moderatione pertractare, ut uſus operis multiplex omnino exiſtat. Nimirum ut ratio exacta & facilis proponatur diſcendi linguas quaſuis, aut tradendi earum cognitionem alijs: aut conferendi plures linguas inter ſe, aut accommodandi ad uſum ſcribendi & loquendi. Qui uſus iam quadruplex æſtimari poteſt. Præterea quia omnis oratio conſtat rebus & uerbis, uerbaq́ rebus inſtituta ſunt, magna erit illa etiam utilitas, ut res & uerba apte coniungantur. In qua re ſua ſponte accedet illa commoditas, ut ex nomenclatura omnium rerum per ſuos locos & ordines digeſta melius etiã de populo quouis ex lingua iudicare liceat, q̃ ex uerboſa hiſtoria. Si enim Mithridates rex maximi tum animi tum ingenij deprehendit populi Romani probitatem ex moneta non maligne cuſa, quanto magis ex lingua, quę eſt ueluti moneta publica, per nomina uirtutũ, cerimoniarum, ueſtium, inſtrumentorum, ædificiorum, cum formulis bene aut male precandi, iurandi, & ſimilibus, nec non per regum, ducum, artificum propria nomina, itemq́ locorum inſignium, ſuis idoneis locis digeſta, licebit æſtimare populi cuiuſuis religionem, mores, ſtudia, uirtutes, uitia, conſuetudines? Iam uniuerſis rebus commode in commentario digeſtis cum ſuis appellationibus, & ſub aſpectum poſitis, ipſa utiq́ philoſophia in epito-

 men redacta erit. Ex qua inſtitutio q̃q; puerilis melius formari po terit, ſi cũ uerborũ notitia, quæ prima eſt inſtitutio fermè puerorum, ipſæ quoq; res ordine, quem natura ipſa tribuit, obſeruato, uerbisq; memorabiles ſententiæ, & breues adiungantur: quę ſtatim occurrant animo, ubi nomen aut res nominis occurrit ſenſibus. Veluti ad nomen linguę adnotabitur per indiculum lingua quò uadis ? aut in manu linguæ uita & mors. Qua de re pluribus admonebo, quum ſe offeret locus idoneus, ut de uerborum & rerum coniuncta notitia agatur.

Plurimũ igitur lucis & facilitatis adferet ſcientijs, omnibusq; rebus cognoſcendis & multiplicem utilitatem hominibus Chriſtianis, ſi extet opus Latine ſcriptum, in quo non modo uocabula logicarum artium, ſed etiam res ipſæ compendio ediſſerantur ex Latinis pariter & Græcis authoribus, & illis quidem optimis. Qui quũ alicubi uidentur inter ſe diſſidere, à ſcriptore huius operis concilientur, ac ueluti contrauerſia dirempta per honorarium arbitrum reducantur in concordiam. Ad eundem modum uerba & res mathematicorum, phyſiologiæ, theologiæ, atq; aliarum artium & opificiorum uelut architectonices, fabrilis, agriculturę, militaris ſcientiæ atq; aliorum comprehendentur, indicatis interim locis authorũ, qui unumquodq; plenius expoſuerunt. Quod equidẽ opus dignabor quouis nomine ac titulo. Vocetur enim, ſi cui placet, πανδέκται Latinę linguę, aut ſyntaxis magna, ut Ptolemæus inſcripſit μεγάλην σύνταξιν, aut bibliothecæ, aut copię cornu, & κέρας ἀμαλθείας, unde ſperare poſſis, non ut Plinius dicit irridendo, hauſtum lactis gallinacei, ſed lac & mella & uinum & ſalubres latices ueræ philoſophiæ, atque copiam bonam rerum & uerborum. Aut rurſum, πίναξ πινακίδιον, ſyllabus, index, enchiridion. Concedam libenter magnificẽtiores etiam titulos, ut appelletur κηρίον fauus ſtillans uidelicet mella eloquij Romani & Attici: aut λειμὼν, hoc eſt pratum & uiridarium muſarum, aut Theſſala tempe, aut anthologia. Vtq; crepat inſcriptio ingentes opes & copias rerum, licebit per me inſcribere margaritam philoſophię, & gemmam gemmarum, aut theſaurum etiam. Et quia tam multiplex erit uſus, indatur illi titulus organum philoſophiæ, aut ſpeculum, aut elucidarius, aut candelabrum, ſi uidetur Vel potius officina uocetur, & taberna, & cella promptuaria. Nec inuidebo illas facetas & feſtiuiores inſcriptiones, ut nominetur ſyntagma

catho-

catholicū, & breuiloquus, & māmæ tractus. At cui arridet muſis
grata ſimplicitas, is uocet eclogas, ſelecta, collectanea, uaria, mi-
ſcellanea, ſtromateis, farriginem Latinorū uerborum & rerum,
paraſceuen & adornationem philoſophiæ, deniq; hypomnema-
ta & commentarios Latinæ linguæ. Quos ubi ſcite ad normam
ante indicatam ex bonis authoribus compoſuerit homo diligens
& ſtudioſus reip. & peritus Latini pariter & Græci ſermonis, o-
mniumq; artium & ſcientiarum: uel mediocriter peritus artium,
cæterū benegnarus Latini ſermonis, uernaculam ſuam linguam
facile accōmodabit, ueluti ad communem canonem linguarum.
Qualem artificem ut equidem polliceri non debeo, neq; pręſtare
poſſim, ita uoluntatem meam in illud opus aliquando, & utinam
breui, perficiendum ab hominibus idoneis, non poſſum non de-
clarare. Itaq; ne ueniam prorſus ad negotium longe pulcherri-
mum & utiliſſimum aſymbolos, percurram breuiter commētan
do, & fungens indicis munere, omnes partes & capita operis, in-
dicatis interim locis ſcriptorum, qui res utiles cognitu recte expe
diunt. Et ubi primum canonem iſtum conſpexero abſolutū, ęmu
lus ero in bona re, ut Heſiodus, uel potius diuinus Paulus, docet,
atq; accommodabo commentarios tum Ebraicæ tum Germani-
cæ linguæ. Abſoluetur autem opus, ut ego poſſum animo con-
tēplari auſpicatiſſimo numero XXIIII. librorum: ut ueluti ui
gintiquatuor ſcriptulis uncia perficiatur literariæ monetæ, quæ
inferatur eccleſiæ Chriſtianæ ærario, ſi uiſum ita fuerit cēſoribus
& quæſtoribus bonarum artium atq; literarum.

LIBRI PRIMI CAPITA.

Quid dialectus, ſermo, oratio, & his cognata.

SErmo exponitur colloquium à Donato in illo Terentij: cum *Sermo.*
illo ſermonem occipit. Cic. 3. lib. rhet. ad Heren. Sermo eſt ora
tio remiſſa & finitima quotidianæ locutioni. Idem Cic. 1. lib. offic.
Quoniam magna uis eſt orationis, eaq; duplex, altera ſermonis,
altera contentionis, contentio diſceptationibus tribuatur iudicio
rum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, cō
greſſionibus familiarium uerſetur, perſequatur etiam conuiuia.
Contentionis præcepta rhetorum ſunt, nulla ſermonis. Quanq̃
haud ſcio, an hæc quoq; poſſint eſſe. Sed diſcentium ſtudijs inue

 niuntur magiſtri: huic autem qui ſtudeant, nulli ſunt: rhetorum turba referta ſunt omnia. Quanquam quæ uerborum ſententiarumq́ præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt. Et reliqua, quibus Cicero format ſermonem quotidianum.

Eloquium. Eloquium etiam uocat Diomedes ſermonem hominis triuialem, ut ita dicam. Ita enim ſcribit lib. 2. Quidam tria uocis officia deſignant, eloquium, tinnitũ, ſonum. Eloquium eſt humanæ pronunciationis expreſſa ſignificatio facilem mentibus imprimens intellectum. Quanquam eloquẽtia ſit perfectio potius ſermonis, de qua poſtea.

Locutio. Locutio eſt ſcitus & artificioſus ſermo. Cic. in Bruto: Quanquam omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio, hoc proprio ſignata nomine eſt. Et rurſum: Solũ & quaſi fundamentum oratoris uides locutionem emendatam & Latinam. Ad Heren. Locutioni quotidianæ ſermo finitimus eſt. Aurel. Auguſtinus quum inſcripſit libros locutionum, idiomata & dialectos uoluit intelligi.

Loquela. Loquelam quoſdam dixiſſe uerbum, quod in loquendo efferimus, teſtatur Varro de lingua Latina. Cicer. 4. lib. de finibus: Ex ea difficultate illæ fallacis loquelę, ut ait Accius, malitię natę ſunt.

Loquẽtia. Loquentia uero, ut loquacitas inter uitia ſermonis ponitur. Gell. lib. 1. cap. 15. M. Tullij quoq́ uerba poſui, quibus ſtultam & inanem dicendi copiam grauiter & uere deteſtatur. Dummodo, inquit, hoc conſtet, neq́ infantiam eius, qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat, neq́ inſcitiam illius, cui res non ſuppetat, uerba non deſint, eſſe laudandam. Quorum ſi alterum ſit optandum, malim equidem indiſertam prudentiã, quàm ſtultam loquacitatem. Saluſtius de Catilina: Satis loquentiæ, ſapientię parum. Ita enim Valerius Probus illuſtris grammaticus legendum eſſe cenſuit, ut ibidem Gellius teſtatur.

Oratio, dictio. Oratio tum ſermonẽ ſignificat uulgarem, tum locutionem artificioſam. Cicer. 1. de orat. Hoc proprium eſt oratoris, quod ſæpe iam dixi, oratio grauis, & ornata, & hominum ſenſibus ac mentibus accommodata. Hoc ſcire debemus, inquit F. Victorinus in comment. Cic. de inuent. in dialogis ſermonem eſſe, non dictionem. Dictionem autem eſſe oratoris in ciuilibus cauſis. Aut ſermo philoſophi, dictio oratoris. Oratio autẽ poteſt & ad dialogum cõuenire, ſi ſit paulò ſplendidior elocutio. Propria tñ oratoris eſt.

Dialectus

Dialectus διάλεκτος definitur à Ioan. grammatico, γλώττης ἰδίω-
μα, linguæ proprietas, ut Attica, Dorica & cæteræ. Ita ſtoici fini- Dialectus.
unt διάλεκτον, teſte Diogene in libro 7. ut ſit λέξις κεχαραγμένη ἐθνι-
κῶς τε καὶ ἑλληνικῶς, hoc eſt, uox uarie apud Græcos & alias gen-
tes conformata. Cæterum Ariſtoteles διάλεκτον dicit humanam
locutionem: id autem quod idioma & dialectus uulgo ſolet dici,
Ariſtoteles uocat γλῶσσαν, quemadmodum & Galenus. Sic enim
partiť nomen in lib. de poëtica Ariſtot. ἅπαν ὄνομά ἐστιν ἢ κύριον ἢ
γλῶττα, &c. Et addit: λέγω δὲ κύριον, ᾧ χρῶνται ἕκαστοι, γλῶτταν δὲ ᾧ ἕ-
τεροι, &c. Quæ Latinus interpres ita reddit: Omne nomen aut eſt
proprium, aut ab alia lingua, &c. Propriũ uoco, quod omnibus
in uſu eſt: ab alia lingua, quod aliquibus duntaxat. Ex quo patet,
huiuſmodi atq; propriũ fieri poſſe, ut in idem quandoq; recidant,
minime tamen eiſdem. Vt σίγυνον, hoc eſt, lancea, Cypriјs eſt pro-
prium: nobis autem γλῶττα. i. ab eorũ lingua. Et Galenus in libro
quem inſcripſit, τῶν τοῦ ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησιν, ait, quæcũq;
nomina olim in uſu fuerunt, amplius autem non ſunt, ea uocant
γλώσσας, hoc eſt, linguas. Et inter explicandum linguas Hippocra
tis non modo ſingulas uoces ponit, ſed etiam interdum plures.
Hinc Latini etiam breuiculas interpretationes, ut uerbũ plerunq;
uerbo reddatur, uocant gloſſas, & gloſſaria & gloſſemata. Vt Fa
bius 1. inſtitut. protinus poteſt puer interpretationem linguæ ſe-
cretioris, id eſt, quas Græci γλώσσας uocant, dum aliud agitur, edi
ſcere. Porrò ſermonem uel orationem Ariſtoteles tum λόγον tum
λέξιν dicit. Quanquam λέξις pro dictione aut uoce una ſignifican
te accipitur ab Apollonio & alijs bonis authoribus. Elocutionem
quoq; Ariſtot. uocat λέξιν in rhet. Quæ Latinis etiam dictio inter-
dum appellatur, & filum orationis. Quomodo Cic. in oratore di-
cit filum tenue argumentãdi. Ea etiam phraſis, character, forma,
genusq; orationis dicitur. διάλεξις eſt locutio artificioſa uel à διαλέ-
γομαι. i. diſſero, uel διαλέγω, hoc eſt, ſeligo & ſecerno, dicta. λάλοι,
ut Gell. inquit, ſignificantiſſimo uocabulo à Græcis dicunť homi
nes ſtulta & immodica blaterantes. Quanquam λαλιὰ etiam pro
ſermone & dialecto ponitur. Et homines proprium habent, quòd
ſunt λαλητικοὶ ſermocinales, aut rectius, ſermone præditi. Cæterũ
dialogus & dialogiſmus tam à Latinis quàm à Græcis uſurpãtur
ſatis nota ſignificatione. Et hæc quidem uiſa ſunt principio diſtin
guenda, quia ſolent à magnis authoribus etiam confundi.

 Porrò lingua, os, labium, quia ſunt inſtrumenta uocis, per tropum pro ſermonis differentia ſolent accipi. Vt quum Cicero de finib. dicit linguam Latinã magis inopem uerborum, quàm Græcam nonnullis uideri. Et in 5. Tuſcul. quæſt. In ijs linguis, quas non intelligimus, ſurdi profecto ſumus. Et Horat. in arte poëtica:

Nec uirtute foret, clarisúe potentius armis,
Quàm lingua Latium, ſi non offenderet unum
Quemque poëtarum limæ labor, & mora.

Quo tropo uſus eſt Moſes, quũ ſcribit deum confudiſſe linguam & labiũ in Babylonia. Quin uox pro ſermone atque oratione uſurpatur nõ ſine figura. Vt quum dicitur, Vox indigna uiro ſapienti eſt, dicere, non putaram. Atque hæc de nominibus cognatis, quæ pro ſermone uſurpantur.

Quid oratio. Definitur autem oratio & ſermo ad hunc modum. Loqui eſt articulata uoce ſignum dare. Signum eſt & quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit. Articulata dico, quod cõprehendi literis poteſt. Hæc Auguſtinus in dialectica ſua. Ariſtot. in 4. hiſt. animalium: διάλεκτός ἐστιν ἡ τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσις. Locutio non niſi uocis per linguam explanatio eſt. Et addit: Homines quoque locutione utuntur non eadem, cum uocem omnes reddant eandẽ. In libro de poëtica λέξιν orationem uocat, ut grammatici & rhetores, quum figuras quaſdam λέξεως dicunt, alias uero dianœas. Quomodo interrogatio, reſponſio, comminatio, narratio, iuſſio figuræ & ſpecies ſunt lexeos. Eius partem unam conſtituit λόγον orationem. Atque in hunc modum definit λόγος φωνὴ ἐστὶ συνθετὴ, σημαντικὴ, ἧς ἔνια μέρη καθ' αὑτὰ σημαίνει. Oratio uox eſt compoſita ſignificans, cuius partes quædam ſeparatæ aliquid ſignificant omnino. Qua definitione Ariſtoteles intelligendum exhibet, & illud eſſe orationem, animal rationale, & totum Homeri ſcriptum & opus Ilias dictum. Ita enim explicat: Duobus modis una dicitur oratio, aut unum per ſe ſignificans aut coniũctionibus additis. Vt uerbi gratia, Ilias coniunctionibus una erit oratio: hominis uero definitio, nempe animal ratione præditũ, unum ſignificat. In libro 1. peri hermenias eadem finitione explicat. Stoici paulò explicatius dicunt, quod λόγος ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη. Oratio eſt uox ſignificans à mente atque cogitatione emiſſa. Vnde acute orationem finiuit Democritus ῥεῦσιν τοῦ νοός, defluxum & quaſi deriuationem mentis.

Diome-

Diomedes orationem finit lib. 1. ut ſit ſtructura uerborũ compoſito exitu ad clauſulam terminata. Vel ut aliqui diffinierunt: compoſitio dictionum conſumans ſententiam, remq́ perfectam ſignificans: uel ut Scaurus, Ore miſſa, & per dictiones ordinata pronunciatio. Priſcianus lib. 2. Oratio eſt ordinatio dictionum, congruam ſententiam perfectamq́ demonſtrans. Quæ quidẽ eſt generalis definitio, id eſt, quæ in ſpecies ſiue partes diuidit. Alioqui enim & liber rhetoricus dicitur oratio, & una dictio: ut imperatiua & reſponſiua uerba, quæ ſententiam abſoluunt.

Quintilianus quid orationem eſſe intelligat lib. 3. de partibus rhet. differens, exprimit: Omnis ſermo, quo quidem uoluntas aliqua enũciatur, habeat neceſſe eſt & rem & uerbum. Ac ſi eſt breuis & una concluſione finitur, nihil fortaſſe ultra deſideret. At oratio longior plura exigit. Et in 8. lib. Oratio omnis cõſtat rebus & uerbis. In rebus intuenda inuẽtio, in uerbis elocutio, in utraq́ collocatio: quæ memoria complectatur, actio commẽdet. Eloqui autem eſt, omnia quæ mente conceperis, promere, atq́ ad audientes perferre. Et in 12. lib. rhetorices atq́ oratoris opus eſt oratio, pluresq́ eius formæ. Cicero quoq́ ſententiam ſuam de oratione tum alibi ſæpius tum in 2. libro de natura deorum exprimit. Iam uero, inquit, domina rerum, ut uos ſoletis dicere, eloquendi uis, quàm eſt præclara? quamq́ diuina? quæ primũ efficit, ut ea quæ ignoramus diſcere, & ea quæ ſcimus, alios docere poſſimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiasq́ reſtinguimus. Hæc nos iuris, legum, urbium ſocietate deuinxit: hæc à uita immani & fera ſegregauit. Ad uſum autem orationis incredibile eſt, ubi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura ſit. Primum enim à pulmonibus arteria uſq́ ad os intimum pertinet, per quam uox principium à mente ducens, percipitur & funditur, &c. Viſum eſt theologorum, philoſophorum, dialecticorũ, grammaticorum, & oratorũ ſententiam de oratione proponere, quo perſpici poſſit euidentius, an finem etiam ſermonis unum proſpexerint.

Finis ſermonis qui ſit.

QVum in cognoſcendis rebus & penitius introſpiciendis, nec non in aggreſſione atq́ perfectione cuiuſuis negotij

plurimum ſit momenti poſitum in cauſis, tum uero in ſermonis & linguarum tractatione tota plurimum refert nouiſſe cauſas, et quidem exacte, in primis cauſam propter quid ſit aut fiat unumquodq;. Quod eſt bonũ ipſum, & uſus rei, & finis, propter quem ſit motus. Eum finem ubi recte cõtemplati fuerimus, cur natura, uel potius naturæ opifex, hominibus orationis facultatẽ & uſum dederit, cur homines habeant ſermonem, quare loquamur, facile tum uniuerſam doctrinam recte utendi ſermone, accommodabimus ad finẽ, adeoq; ſermone & linguis probe utemur, & cognationem inter logicas artes nullo negotio peruidebimus, & quis earum quoq; ſit finis. Hinc etiam ſua ſponte ſe offeret cõmunis ratio linguarum omnium & literarum. Cui oſtendẽdæ potiſſimum hic liber deſtinatus eſt. Proinde finem ſermonis ut definitionem antea, inueſtigemus ex claſſicis authoribus, & ratiõibus ijs, quas ipſi ſecuti ſunt, idq; breuiter: ſiquidem inſtitutum nobis eſt in hoc commentario indicis munere fungi, non docentis & magiſtri.

Paulus apoſtolus in priore epiſt. ad Corinth. cap. 14. uſum linguarum & ſermonis indicat, quum requirit οἰκοδομὴν, i. ædificationem, ut ex ſermone fructus bonus redeat ad homines audientes: quod fieri non poteſt, niſi mente & intellectu percipiatur: non percipietur autem, niſi quis edat εὔσημον λόγον, hoc eſt, ſignificantem ſermonem. Quemadmodũ carmen, quod citharœdus modulatur, nemo intelligit, niſi diſtinctos ſonos reddiderit cithara. Et in bello niſi tuba certa ſigna cecinerit, nemo ad prælium eius indicio excitabitur, neq; præſtabit officia militaria, quæ ſigno tubarum ſolent indicari. Auguſtinus in libro de magiſtro: Conſtat uerba ſigna eſſe. Signum eſſe non poteſt, niſi ſignificet. Ac rurſum: Qui loquitur, ſuę uoluntatis ſignum foras dat per articulatum ſonum. Videtur ne tibi, niſi docendi aut commemorãdi cauſa non eſſe inſtitutam locutionem? Vides ergo nihil nos locutione, niſi ut doceamus, appetere. Ac in toto libro exponit, ut uerba ſint rerum ſigna, & uerborum ſigna. In dialectica etiam de ratione ſermonis loquens, iubet hęc quatuor diſtincte tenere, uerbum dicibile, dictionẽ, rem. Res eſt, quicquid uel ſentitur ut corpora, uel intelligit̃ ut ſpiritualia, uel latet ut deus, & informis materia. Verbum eſt uniuſcuiuſq; rei ſignum, quod ab audiente poſſit intelligi, à loquente prolatum. Signum eſt, & quod ſeipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit. Loqui eſt articulata uoce ſi-

gnum dare. Articulata autem dico, quod comprehendi literis poteſt. Omne quidem uerbum ſonat, nam in ſcripto non uerbū, ſed uerbi ſignum eſt. Quippe inſpectis à legente literis, occurrit animo, quod uoce prorumpat. Quid enim aliud literæ ſcriptę, quàm ſeipſas oculis, & præter ſe animo uoces oſtendunt? Sunt etiam ſigna uerborum uerba, ut quum grammaticus quærit, homo quot habeat ſyllabas, aut quæ pars orationis: & dialecticus, an ſit genus, an ſpecies, & quæ ſunt huius generis. Porrò uerba uel ſimplicia ſunt, quæ unum quiddam ſignificant, ut nomina & uerba ſingula: uel coniuncta & copulata, ut homo uiuit ſua fide. Dicibile uocatur, quicquid ex uerbo nō auris ſed animus ſentit, & ipſo animo tenetur incluſum, ut ſenſibile dicitur, quod ſenſus percipit. Dictio uocatur, cum uerbū procedit non propter ſe, ſed propter aliud aliquod ſignificādum. De quibus omnibus tractat dialectica. Ariſtoteles in 1. lib. peri hermenias, hoc eſt, de enunciatione ſiue interpretatione: Quę in uoce uerſantur, ſigna ſunt affectuum, qui ſunt in anima: quæ uero ſcribuntur, notę ſunt eorum quæ uerſantur in uoce. Vt autem non eædem ſunt literæ apud omnes homines, ita neq; uoces eædem ſunt. Affectiones autem, quorum ſunt hæc ſigna, apud omnes homines eædem ſunt. Nec non res quarū ὁμοιώματα & ſimulachra ſunt uoces, itidem apud omnes eædem ſunt. Porrò nulla uox niſi κατὰ συνθήκην, id eſt, ex pacto ſignificatiua eſt, ut uidelicet fiat σύμβολον & nota communis rei. Vnde ſoni qui ſcribi non poſſunt, uelut beſtiarum, uoces ſignificatiuæ non ſunt. Porrò uocum aliæ ſunt συμπεπλεγμέναι coniunctæ ut oratio, aliæ citra complexionem, ut ſingula nomina & uerba, & aliæ uoces, è quibus cōſtruitur oratio. De quibus omnibus fuſius diſſerit Ariſtot. in libro 2. de anima. Porrò affectus aut affectiones uocat, nō ut iram & dolorem aliasq; perturbationes animi dicimus affectus, ſed quę alij νοήματα uocant, hoc loco Ariſtoteles πάθη appellat. Themiſtius uocauit σημαινόμενα & φαντασίας, hoc eſt, ſignificata & imagines rerum inſidentes animo. Galeni ſententia indicata eſt ſuperius ex 9. lib. de placitis Hippocratis & Platonis. Sunt autem hæc ipſius uerba Græca: χρώμεθα γὰρ Facie 96.
ὀνόμασι καὶ ὅλως τῇ πρὸς ἀλλήλους διαλέκτῳ χάριν τοῦ δηλῶσαι τὰς κατὰ τὴν ψυχὴν δόξας, ἃς ἐκ τοῦ σκοπεῖσθαι τὴν τῶν πραγμάτων φύσιν ἐκτησάμεθα. γελοῖον οὖν ὅσοι καταλιπόντες τοῦτο περὶ τῶν ὀνομάτων ἁμιλλᾶσθαι.

 Finem orationis & ut efficiatur, lib. 1. Diomedes ad hunc modum oſtendit: Oratio ſecreta pectoris arguens ad linguam ſui gubernatricem migrat mobili quodam uocis articulatæ ſpiritu, rotundoq; gubernaculi moderamine temperata, & interiore uicino pectori aëre argutia uerberato, palatoq; ſenſim paulatimq; pulſato, uelut internuncius ac proditor humanæ mentis ad indicia exprimẽdæ cogitationis per os ſermonemq; rationabiliter agitatur. Hæc enim ſuo magno beneficio expreſſa ratione ſermonis, nos cæteris ſeparat ab animalibus: ſola homines natura fatetur, atq; demonſtrat.

Oratores quoq; id conſtantiſſime tenent, ſermonem homini datum ad explicandum animi ſenſa, & ad ſalutem eſſe datum, non ad perniciem: nec quicquam magis naturæ contrarium, q; uerbis obſcurare ſententias. Summam uero perfectionem orationis conſtituunt eloquendi ſcientiam, uel potius uirtutem & facultatem: quam ita coniungunt boni rhetores cum ſapientia, ut ab ea diuelli nullo modo poſſit. Quod uno & altero exemplo patefeciſſe, ſatis fuerit. Deinde fines artium dicendi cum ipſo fine ſermonis conſiderabimus.

Eloquẽtia. Eloqui, ut antea indicaui, Quintilianus libro 8. definit, Omnia quæ mente conceperis promere, atq; ad audientes perferre. Sine quo ſuperuacua ſunt priora, nempe inuenire et diſponere quę dicantur, & ſimilia gladio condito, atq; intra uaginam ſuam hærenti. Hoc itaq; maxime docetur, hoc nullus niſi arte aſſequi poteſt. Huic ſtudium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio. Hic omnis ætas conſumitur, hoc maxime orator oratore præſtantior. Hoc genera ipſa dicendi alia ſunt alijs potiora. Et paulò poſt: Sit igitur cura elocutionis quàm maxima, dum ſciamus tamen, nihil uerborum cauſa eſſe faciendum: cum uerba ipſa rerum gratia ſint reperta: quorum ea ſunt maxime probabilia, quæ ſenſum animi noſtri optime promunt, atq; in animis iudicum, quod nos uolumus, efficiunt. Ea debent præſtare ſine dubio & admirabilem orationem, non ſic ut prodigia miramur, & iucundam, non deformi uoluptate, ſed cum laude ac dignitate coniuncta. Et iterum: Quam Græci φράσιν uocant, Latine dicimus elocutionem. Eam ſpectamus uerbis aut ſingulis aut coniunctis. In ſingulis intuendum eſt, ut Latina, perſpicua, ornata, & ad id quod efficere uolumus accommodata: utq; ſint quàm minime peregrina & externa.

terna. In coniunctis, ut ſint emendata, ut collocata, ut figurata.
Porrò in 12. libro definiens oratorem uirum bonum dicendi peritum, idq; ex M. Catonis ſententia, oſtendit facultatem benedicēdi nulli concedēdam, qui non idem ſit bonus uir. Idq; probat ex naturæ legibus, quæ proculdubio ſunt optimæ. Sic enim colligit Quintilianus. Verum id, quod ille poſuit prius, & ipſa natura potius ac maius eſt utiq;: idq; non eo tantum, quod ſi uis iſta dicendi malitiam inſtruxerit, nihil ſit publicis priuatisq; rebus pernicioſius eloquētia. Nosq; ipſi, qui pro uirili parte conferre aliquid ad facultatem dicēdi conati ſumus, peſſime mereamur de rebus humanis, ſi latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipſa natura in eo, quod pręcipue indulſiſſe homini uidetur, quoq; nos à cæteris animantibus ſeparaſſe: non parens, ſed nouerca fuerit, ſi facultatem dicendi ſociam ſcelerum, aduerſam innocentiæ, hoſtem ueritatis inuenit. Mutos enim naſci & egere animi ratione ſatius fuiſſet, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Ac poſt aliquot uerba interiecta: Quando igitur orator eſt uir bonus, is autem citra uirtutem intelligi non poteſt, uirtus & ſi quoſdam impetus à natura ſumit, tamen perficiēda doctrina eſt. Mores ante omnia oratori ſtudijs erunt excolendi, atq; omnis honeſti iuſtiq; diſciplina pertractāda: ſine qua nemo nec uir bonus eſſe, nec dicēdi perit' poteſt. Niſi fortè accedamus ijs, qui natura conſtare mores, & nihil adiuuari diſciplina putāt. Scilicet ut ea quidem, quæ manu fiunt, atq; eorum etiam contemptiſſima confiteantur egere doctoribus: uirtutem uero, qua nihil homini, quod ad deos immortales propius accedat, datum eſt, obuiam & illaboratam, tantum quia nati ſumus, habeamus. Abſtinēs erit, qui quid ſit abſtinentia ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, ſuperſtitionis morbos nulla ratione purgauerit? Et iuſtus, qui æqui boniq; tractatum, qui leges, quæ natura ſunt omnibus datæ, quæq; propriè populis & gentibus conſtitutæ, non eruditiore aliquo ſermone tractauerit? O quàm iſtud parum putant, quibus tam facile uidetur. Sed hoc tranſeo, de quo neminem, qui literas uel primis, ut aiunt labris deguſtauerit, dubitaturum puto. Ad illud ſequens reuertar, ne dicendi quidem ſatis peritum fore, qui non & naturæ uim omnem penitus perſpexerit, & mores præceptis ac ratione formarit. Neq; enim fruſtra in tertio de oratore libro L. Craſſus cuncta quæ de æquo,

 iuſto, uero, bono, deq; ijs, quæ ſunt contra poſita, dicũtur, propria eſſe oratoris affirmat, ac philoſophos cum ea dicẽdi uiribus tuentur, uti rhetorum armis, non ſuis. Idem tamen confitetur ea iam eſſe à philoſophis petenda, uidelicet quia magis hæc illi uidetur in poſſeſſione earum rerum fuiſſe. Hinc etiam illud eſt, quod Cicero pluribus libris & epiſtolis teſtatur, dicendi facultatem ex intimis ſapientiæ fontibus fluere. Ideoq; aliquãdiu præceptores eoſdem fuiſſe morum atq; dicendi.

Quibus uerbis Quintiliani & ipſius & M. Tullij ſententiam expreſſi, cuius ueſtigia Fabius diligẽter perſequitur. Ac ſi omnia uelim tranſcribere, quæ Cicero & Quintilianus, & alij boni oratores de ratione dicendi præcipiunt, & exemplis confirmant, aurea iſta flumina exhaurienda forẽt. Sed quis non malit de puriſſimis fontibus bibere, q̃ de riuis? Ideoq; paucula ex Cicerone adijciam, qui ad hunc modum in Bruto ſcribit: Eſt actio quaſi corporis quædam eloquentia, quum conſtet è uoce atq; motu. Et rurſum: Sed iam illius perfecti oratoris & ſummæ eloquẽtiæ ſpecies exprimenda eſt. Quem hoc uno excellere, id eſt, oratione, cætera in eo latere indicat nomen ipſum. Non enim inuentor aut compoſitor aut actor hæc complexus eſt omnia. Sed & Græce ab eloquendo rhetor & Latine eloquens dictus eſt. Cæterarum enim rerum, quæ ſunt in oratore, partem aliquam ſibi quiſq; uendicet. Dicendi autem, id eſt; eloquẽdi maxima uis ſoli huic conceditur. Et rurſum in oratore: Sed eſt eloquentiæ ſicut reliquarum rerum fundamentum ſapientia. Vt enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, q̃ quid deceat. πρέπον appellant Græci. Nos dicamus ſanè decorum. De quo præclare & multa præcipiuntur, & res eſt cognitione digniſſima. Huius ignoratione non modo in uita, ſed ſæpiſſime & in poëmatis & in oratione peccatur. Eſt autem quid deceat, oratori uidendum, non in ſententijs ſolũ, ſed etiam in uerbis. Et rurſum: Poſitum ſit igitur in primis, quod poſt magis intelligetur, ſine philoſophia nõ poſſe effici, quem quærimus eloquentem. Ita in partitionibus oratorijs locutus de uirtutibus, & omni genere bonorum in genere demõſtratiuo & laudatorio ait. Atq; hæ uirtutes cernuntur in agendo. Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ comitesq; ſapientiæ. Quarum altera, quę ſint in diſputando uera atq; falſa, quibusq; poſitis, quid ſequatur, diſtinguit & indicat: quæ uirtus omnis in ratione ſcientiaq; diſputandi ſita eſt: altera

autem

autem oratoria. Nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia. Quæ ex eodem hauſta genere, quo illa, quæ in diſputãdo, uberior eſt atq; latior, & ad motus animorum uulgiq; ſenſus accommodatior. Et ut Ariſtotelis quoq; iudicium adiungam Ciceronis ſententiæ, unum locum apponam ex oratore Cicer. Eſſe perfecte eloquentis puto, non eam ſolum facultatem habere, quæ ſit eius propria, fuſe lateq; dicendi, ſed etiam uicinam eius atq; finitimam dialecticorum ſcientiam aſſumere. Quanq; aliud uidetur oratio eſſe, aliud diſputatio, nec idem loqui eſſe, q̃d dicere: attamen utrunq; in diſſerendo eſt. Diſputandi ratio & loquendi dialecticorum ſit, oratorum autem dicendi & ornandi. Et poſt Zenonis ſtoici chriam, qui dialecticam pugno, eloquentiam palma ſignificauit, ſubijcit. Atq; etiam Ariſtoteles principio artis rhetoricæ dicit illam, quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ: ut hoc uidelicet differãt inter ſe, quod hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquẽdi contractior. Iam poſt rationem ac uiam dialecticã docendi adijcit: Nec uero dialecticis modo ſit inſtructus, ſed habeat omnes philoſophiæ notos & tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de charitate patriæ, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de uirtutibus aut uitijs, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de uoluptate, nihil de perturbationibus animi & erroribus, quæ ſæpe cadunt in cauſas, ſed ieiunius ãgũtur, nihil inquam ſine ea ſcientia, quam dixi, grauiter, ample, copioſe dici & explicari poteſt. De materia loquor orationis etiã nunc, non ipſo de genere dicendi. Et poſt iuris ciuilis peritiã atq; hiſtoriæ adijcit: Sapientia hæc maxime adhibenda eloquenti eſt, ut ſit temporum perſonarumq; moderator. Nam nec ſemper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodẽ modo dicendũ arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad quodcunq; decebit, poterit accommodare orationem. Quod quum ſtatuerit, tum ut quidq; erit dicendum, ita dicet.

Inter diſertum uero & eloquentem aliquid intereſſe, oſtendit idem Cic. 1. de oratore: Scripſi me diſertos cognoſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem. Quod eum ſtatuebam diſertũ, qui poſſet ſatis acute ac dilucide apud mediocres homines ex cõmuni quadam hominum opinione dicere: eloquentem uero, qui mirabilius & magnificentius augere poſſet atq; ornare quæ uellet, omnesq; omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes *Diſertus.*

animo ac memoria contineret. Fab. in fine libri ſeptimi: Sed hæc in oratione præſtat omnia, cui affuerint natura, doctrina, ſtudiũ. Quare nemo expectet, ut alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandũ ducat, iterum enitendũ, pallendum eſt, facienda ſua cuiq; uis, ſua ratio. Non reſpiciendum ad hæc, ſed in promptu habẽda: nec tanquam tradita, ſed tanquam innata. Nam uiam demonſtrare uelociter ars poteſt, ſi qua eſt. Verum ars ſatis pręſtat, ſi copias *Facundus.* eloquentiæ ponit in medio. Noſtrũ eſt, uti eis ſcire. Porrò facundum eſſe dictum à fando, quod naturę munus egregium eſt, M. Varo docet, inquiens, à fando ſunt denominati facundi, qui facile fantur. Ouidius:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes. Et Horat.
Mercuri facunde nepos Atlantis.

Pub. Facundus comes in uia pro uehiculo eſt. Vt autem oratio dicatur diſerta, & alia huius argumenti, quia non perinde faciunt ad propoſitum, prætermitto.

Neceſſum enim fuit pluſcula uerba clariſſimorum hominum reddere, quæ cum fructu à ſtudioſis legẽtur. Ex quibus iam ſummatim colligere ſtudebo, quæ ad inſtitutum maxime pertinent. Primum enim cernimus eloquentiſſimorũ uirorum iudicio, eloquentiam & cognitionem ſolidam rerum diuinarum atq; humanarum, ſiue illam ſapientiã, ſiue philoſophiam appellare oportet, coniũctiſſimas eſſe, ut ſeparari non debeant, aut poſſint. Vtranq; autem facultatem competere ſoli bono uiro, ac rurſum uirum bonum ab utraq; uirtute haudquaquã abhorrere. Cæterũ eloquentia, & ornate atq; copioſe loquens ſapientia, uigor eſt & ſuprema uis, utq; Græci dicunt ἀκμὴ, ſermonis. Ad illum quoq; finem perfecti & abſoluti ſermonis ſpectare omnes artes ſermoni excolendo & limando accommodatas, earum definitiones docent, quæ rectum quiddam in oratione ſibi deſtinarunt. Quid enim eſt rhetorice? Nihil aliud quàm ars bene dicẽdi, ſi audiamus Fabium in ſecundo libro ita finientem. Quid autem dialectica? Nihil aliud, quàm bene diſputandi ſcientia, ſi Auguſtini ſententiam non reijciamus, quod nefarium fuerit. Quid eſt grammatica? Nihil certe aliud, ſi audiatur Aſper, quàm recte ſcribendi, pronunciandi, interpretandiq; poëtas per hiſtoriam formata ad uſum rationemq; uerborum. Rurſum Quintilianus in 2. libro grammaticam bipartitam oſtendens, alteram partem finit rationem loquendi, alte

ram

ràm enarrationem authorum: aut recte loquendi ſcientiam, & poëtarum enarrationem, ut in primo libro. Non diſſimiliter finitur dialectica Ciceroni in topicis, nimirum diligẽs ratio diſſerendi. Et in oratore, ut modo reddidimus, dialectica diſputandi & loquendi ratio, dicendi autem & ornandi oratoria: quæ non differunt etiam Zenone & Ariſtotele & Cic. authoribus, niſi quod ratio dicendi latior eſt, illa uero loquendi contractior. Itaq; fine & definitione conueniunt rationi & ſermoni explicando deſtinatæ ſcientiæ grãmatica, dialectica & rhetorica. Vt hac quidem in parte nihil prohibeat, quin ſit una ratio communis omnium linguarum & literarum. Conueniunt etiam artes ipſa materia, ſiue ſpecies uerba, ſiue res. Quæcunq; enim res in mentẽ uenire poſſunt, tam quæ nomen nullum habent, quàm quæ certo nomine ſignatæ ſunt, ad dialecticũ pertinent. Eandem materiam clariſſimi oratores tum arti rhetoricę, tum artifici ſubijciunt. In omni autẽ oratione de quacunq; re ſit inſtituta, grammatices animaduerſio prohibet, ne ſolœciſmo aut barbariſmo, aut improprietate, aut peregrinitate aliquid ſit uitioſum, quoad eius fieri poteſt. Cæterum illud rectum quod ſpectant artes ſermoni deſtinatæ, id ipſum ſpectant in omni lingua homines cordati & boni, ut omnia quàm rectiſſime dicantur, nihilq; ſit prauum. Quod autem Iacobus apoſtolus dicit linguam malum ingens & indomitũ, utiq; de ſermone loquens, qui lingua ceu organo perficitur, non eſt ex uſu linguæ & ſermonis, uerum ex abuſu. Nam finis à deo propoſitus omnino bonus eſt. Porrò quod idem apoſtolus oſtendit una lingua nos benedicere deo, & cõuitiari proximo, quod Cicero uim docendi, hortandi, conſolandi, terrendi, & alia id genus plurima tribuit, hi quidem effectus ſunt hominum recte aut ſecus utentium ſermone, aut orationis effectus ſunt, uerum ut inſtrumenti, non cauſæ agentis. Nam qui dicit & ſcribit, eſt habendus pro opifice. Porrò ut conferri debeant, ac diſtingui fines ſermonis, artiumq; dicendi, & artificis, ſiue is grammaticus, ſiue dialecticus, ſiue orator haberi uult, aut imperitus etiam artium, ex medẽdi ſcientia promptum eſt intelligere. Finis enim & perfectio corporis eſt ſanitas, ut totum corpus & ſingulę partes obeant ſuas functiones, quemadmodum animus & natura dictant. At multi, qui bene ualent corpore, abutuntur bono illo ad crapulam & alias turpitudines; qui eſt abuſus bonæ ualetudinis, & non uſus. Porrò

 medendi ars, quę eſt qualitas animæ, nimirũ habitus & aptitudo aliquid recte beneq́ agendi, omnem facultatẽ ſuam & actiones corpori accommodat, ut ſanum ſit recteq́ obeat functiones naturales, utq́ bonam ualetudinem tueatur, atq́ à morbis præſeruet, & morbis qui fortè inuaſerunt, pulſis, amiſſam ualetudinem reuocet. Idq́ facit ratione uictus, & διαιτικὴ dicitur: aut pharmacis, & dicitur φαρμακευτικὴ: aut manu & inſtrumentis, quæ uocatur χειρουργία: aut iumentis etiam curandis ſeſe accommodat, uocaturq́ ἱππιατρικὴ, Latinis autem ueterinaria. Sed ſunt morbi tum in hominibus, tum in animalibus cæteris uſq́adeo uehementes & pertinaces & deplorati, ut omnem reſpuant medicinã. Ipſe quidem medicus, quatenus in hoc eſt, ut ſecundum facultatem & artem & profeſſionem ſuam bonæ ualetudini conſulat, finem corporis & artis ſpectat. Qualem medicum deus ipſæ naturæ dominus fecit & inſtituit, ſicuti medicas res produxit ex terra: quemadmodum eccleſiaſticus dicit. Interim accipit ſalarium iuſtum, quo ſe diutius ſeruet uſibus humanis: eſtq́ multo digniſſimus honore et amplis præmijs. Quum autẽ enecat homines, qui ſeruari poſſent in uiuis, id quidem facit non ut medicus, uerum ut latro & ſicarius & ueneficus. Quumq́ nihil quàm pecunias aucupatur, & artem habet uænalem, id facit ut rerum promercaliũ negotiator. Indulgendo etiam nimium ægrotantium affectionibus, aſſentatoris munus non medici gerit. Eam ſimilitudinem ſpectemus iam in oratione, quæ corpori aſſimulatur, ſicuti frequentiſſimo tropi genere, quæ corporis ſunt, ad animam uelut è propinquo transferuntur. Vnde in oratione quędam præcipua uirtus & ſanitas ſpectatur, Atticis oratoribus maxime attributa. Eſt autem oratio nõ corpus, non quantitas, non actio, non res ad aliam relata eiq́ connexa, quanquam ea omnia quidam ſuſpicari poſſent, ſed eſt qualitas oratio. Quæ deriuata ex mente per ſpiritũ expreſſum è pulmone laterum muſculis & lacertis, perq́ arteriam aſperam in os meantẽ, ubi lingua & dentibus & labijs, uelut in articulos diſtinguitur: aut per notas literarũ exaratas manu ſcriptorioq́ inſtrumento, in mentem alterius hominis tum per aures, tum per oculos transfunditur. Eius functio eſt, rationem & uolũtatem enunciare, & aperire alijs capacibus ſermonis ſimul & rationis. Vnde acute à Ioanne Damaſceno ſermo qui exprimitur, finitur ἄγγελος νοήματος, id eſt, nuncius cogitationis. Et ſi uero nutibus, & geſticulatione

Eccleſ. 38.

culatione manuum, capitiſq; & aliarum partium corporis motu animi ſignificationes quędam eduntur, propria tamen ea functio eſt ſermonis. Quemadmodum rationis & intelligentiæ, quæ eſt pars aut facultas animæ præſtantiſſima, officium non ignoramus illud eſſe, ut capiat res, quæ exiſtunt, aut quæ ſolent fingi, & com mento produci: perceptas autem res inſpiciat, rimetur, exploret intus & extra, & diſcernat natura ſua diſiunctas, rurſumq; iungat eas, quæ ſunt cognatæ: uerumq; & bonum nec non cōtraria illis perſpiciat. Inde uoluntati ſuggerat conſilium, & perſuadeat, ut proſequatur ea, quę reuera bona ſunt, aliaſq; facultates animi & corporis uelut imperatrix ad agendum excitet: ut homo fungatur officio ſuo in omnibus, quę ſe uſpiam aut quocunq; tempore offerunt. Id nimirum officium ſuum homo tum præſtat, quando agit, quæ ſuo fini, ut opifici & parēti deo q̃ ſimilimus euadat, con ſentanea ſunt, imitando æmulandoq; deum, qui omnia facit iudi cio rectiſſime optimeq;. Et ea ſola eſt rationis perfectio, quum fini hominis, & adeo naturæ diuinæ, quæ ſola ex ſeſe bona eſt, q̃ proxime fuerit accommodata. Non alia erit igitur ſermonis abſolutio & finis proprius, q̃ ſi attingat hominis finem. Nihil aūt ex cellentius homini poteſt obtingere, q̃ ut ſit deo coniūctus, cogna tus & ſimilimus, quantū natura hominis eius capax eſt, nimirum ſapiens, uerax, iuſtus, ſanctus, bonus, recti operis ſedulus actor, deniq; felix & beatus. Hæc ſanitas, hęc rectitudo, hæc perfectio, hic finis orationis exiſtit, ut ſapientium uirorum ſententiæ, & ratio euidens mihi equidem perſuaſerunt. Aliò autem ſermonem diuertere, alia per orationem efficere, ueritatem obſcurare, ſeducere, fucum facere, uerba dare, lingua ueluti flabello ſeditiones cōmouere, innocentiā oppugnare, execrari homines aut deum, & alia mala quæ innumera ſunt, ſermone perficere, is quidē abuſus eſt rei à deo ad ſalutem communē datæ hominibus. Id uirus peſtiferum eſt, quod lingua rationis atq; religionis freno minime cohibita inſtillat, ut apoſtolus Iacobus docet.

Regulæ & canones principes & communes omnium populorum ſermonibus.

EVm finem quoq; ſpectant artes, quæ ſermonis atq; rationis tum uim tum uſum docent. Nam uniuerſæ tendunt eò, ut in oratione tota & in ſingulis partibus, quod rectū eſt, obſeruetur.

 Nam in literis orthographia, quæ eſt recte ſcribendi ratio, dictat & præſcribit, ut quàm rectiſſime ſcribamus. In pronunciando eſt orthoëpeia, hoc eſt, ut Fabius interpretatur, emendata cum ſuauitate uocum explanatio. Nam ſic accipi poteſt recta. Cum recto autem pugnant uitia, & quicquid prauum eſt. Quumque grammatices altera pars ſit, finitore Quintiliano, emendate loquendi regula, duas partes idem Quintil. ſignificanter ornateque dicendi grammaticis non aufert. In uerborum autem ratione diuinus Plato ſpectat quandam ὀνομάτων ὀρθότητα, hoc eſt, nominũ rectitudinem. Vt eſt legere in ipſius Cratylo. Et in flectendis uocibus eſt quædam recta uia & trita, ut dicatur, face, dice, quemadmodũ Fabius docet, quum obtinuerit uſus fac, dic. Præterea in uerborum coniunctione ordo quidam rectus eſt, alius uerſus, aut peruerſus, & plane diſtortus: ut aliud dicatur ἀκόλουθον, aliud ἀνακόλουθον. Ad eundem modum in ſimplicibus uocibus, in propoſitionibus, in argumentationibus rectum inquirit & præcipit dialectica. Idem facit oratoria per omnes partes. Vt tres artes logicæ iunctæ mutuum & conſpirãtes abſoluant demum ſermonis rectitudinem, quarum nulla carere poteſt ope & opera etiam aliarum. Quemadmodum circulus illę ſcientiarũ, quem uocant ἐγκυκλοπαιδείαν, integer nõ eſt, ſi aliqua liberalis ars defuerit. Et quatenus ita quiſque loquitur & ſcribit, ut rectam uiam & rationem teneat, ut omnia dicat appoſite rebus, perſonis, locisque & temporibus etiam, quibus omnes res conditæ continentur, quæ in orationem ueniunt, hactenus artificis, hoc eſt boni grãmatici, boni dialectici, boni oratoris, denique hominis eloquentis munere fungitur. Vbi uero deflexerit uel ignorantia ſeductus, uel deprauatus uoluntate, non id imputandum eſt pulcherrimis, certis, utiliſſimisque artibus, quæ rectum bonumque præſcribunt, ſed hominum uitijs. Itaque nouorum uerborum architectus, quum propria & recta ſuppetunt uerba rebus ſignificandis, non grãmaticus, ſed logodædalus, uel κοροπλάθος ἐν λόγοις, & figulus uerborũ appellabitur. Qui pro ueritate aut contra ueritatem diſputandi animum gerit æque paratum & promptum, ut gloriæ & ingenij oſtentandi libido ſuaſerit, non dialecticus mihi dicetur, ſed improbus ſophiſta & uerſipellis impoſtor. Qui tam paratus eſt in foro & curia, & cõcione malam cauſam agere, ſi ſpes lucri affulſerit, quàm bonam: eum equidem non oratorem, hoc eſt, uirum bonum dicendique peritum, ut M.

Cato ſiniuit, appella uero, ſed rabulam circunforaneum & uæna lem, & operarium linguacem & bilinguem, aut multilinguem etiam, & magnam peſtem reipublicæ.

Itaq; rectum illud obſeruandum in omni ſermone, non eſt po ſitum in opinione & arbitrio, & cõſenſu praue loquentium: non dico duorum populorũ aut trium, ſed omnium etiam: ſed regula loquendi & dicendi exigitur. Sic enim Quintilianus appellauit. Nam rectum eſt, quod regulæ & canoni atq; normæ congruit. Et contra enorme ac prauum, quod à gnomone diſſidet. Genera les ac principes regulæ quatuor fermè proponuntur à magnis au thoribus. Veluti à Fabio, qui lib. 1. ſcribit: Sermo conſtat ratione, uetuſtate, authoritate, cõſuetudine. Rationem præſtat præcipue analogia, nonnũquam & etymologia. Vetera maieſtas quædam, & ut ſic dixerim, religio cõmendat. Authoritas ab oratoribus uel hiſtoricis peti ſolet. Nam poëtas metri neceſſitas excuſat. Idem in lib. 9. Eſſet omne ſchema uitium, ſi non peteretur, ſed accideret. Verum authoritate, uetuſtate, cõſuetudine plerunq; defenditur: ſæpe etiam ratione quadam. Totidem attingit M. Varro, uelut in 2. lib. analogiæ, rationem, conſuetudinem, item copulam perſo narũ, ut quod ſit ius oratoris & poëtæ. In 4. lib. de uerborũ orig. quatuor ponit gradus explicandi uerborum origines, primum in quo populus uenit, ſecundum à quo deſcendit grammatica anti qua, tertium quo philoſophia peruenit, quartum ubi eſt aditus, & initia regis. Quæ intelligo de origine populi Romani aut Lati ni, ut antiquitas ultima ſignificetur. Quanquam & naturę memi nit aliquoties.

Cæterum ſi quis rem diligentius perpendat, non hæ ſolæ regu læ erunt recte loquendi & ſcribendi, ſed & aliæ. Ratio enim eſt uelut menſura generalis, qua metiuntur homines digni ſuo no mine, id eſt, utẽtes ratione, uniuerſa: et quod deprehendũt perdu ctum ad æquilibrium perfectæ rationis, id probãt & amplectun tur, & contraria improbant ac reſpuunt. Idq; in contemplatione rerum, cuius ſcopus eſt ueritas: & in peruestigatione actionum, quid faciendum aut non faciendum ſit. Cuius ſcopus eſt bonum idq; multiplex, puta honeſtũ, utile, uoluptabile. In quibus etiam contineri aliquo pacto uidentur, quæ in conſultationibus ſolent etiam expẽdi, an poſſit aliquid fieri, an ſit neceſſarium, an tutum, an facile. Vnà cum illis ſpectantur etiam aduerſa enumeratis, tur

 pe, inutile, noxium, iniucundum, & acerbum. Neque eſt aliud conſilium, quàm ratio recte cogitata aliquid faciendi aut non faciendi, ut Cicero definiuit. Eaque ratio inueſtigat media quædam, quibus ueluti gradibus aſcendat ad cognitionem ueri. Quæ dicũtur etiam rationes & argumenta, alia poſita in ipſis rebus, ut finis eſt rei, & cauſę alię, ut genus, ut tota natura definitione breuiter concluſa & terminata: alia uero extra rem, ut authoritas maiorũ, populi conſenſus, rumor famaque uulgi. Et alia id genus, quæ topice, hoc eſt, doctrina inueniẽdi explicat. Quos rerum indices, ſi preſſius intueamur, offerũt ſe plures canones & regulæ, qbus in ſermone quouis rectũ ipſum demonſtretur. Vnde Ariſtoteles non uane pollicitus eſt, topicen eſſe doctrinam ad omnium artium atque ſcientiarum principia ſtabilienda utilem. Itaque nonnullas attingam regulas principales è fontibus naturæ deriuatas, quæ merito ualebunt in omnium linguarum tractatione.

Natura.

NAtura quid ſit explicat Ariſtoteles in 5. lib. metaph. Cice. 2. de natura deorum. Neque huc pertinet ea contemplatio. Sed tantum indicabo, ut eam regulam & legem ſanctiſſimam obſeruarint boni authores. Plato in Cratylo de literarũ & ſyllabarum poteſtate copioſe diſputat rationibus ſumptis è naturæ penu. Cicero quoque in 2. de natura deorum oſtendit, ut natura hominem formauerit ad uſum orationis, lingua, dẽtibus, labijs, & alijs membris, quibus finiri & diſtingui uocis ſonos uidemus. Id quod Ariſtoteles non uno in loco agit, quomodo natura literas, id eſt elementa uocis humanæ diſtingui uoluerit. Lactantius quoque in libro de opificio dei cap. 10. & admiratur & prædicat. In uocibus ſingulis quæ res notant, uirtutem diuinam agnoſcit Plato in Cratylo. Et Cicero Epicurũ grauiter reprehendit, quod ignoret quę uis ſit à natura uocibus ſubiecta. Et conqueritur quoſdam uim afferre ſenſibus, & extorquere cognitiones uerborum, quibus imbuti ſumus. Et in 1. lib. de offic. contra Cynicorum opinionem prohibet obſcœnitatem uerborum ex naturæ legibus. De numeroſa oratione, quod leuiſſimum uidetur in ſermone, idem Cicero loquens ad naturam ipſam potiſſimum reſpicit. Sic enim in oratore dicit; Genus illud tertium explicetur, quale ſit, numeroſæ & aptę

orationis.

orationis. Quod qui non ſentiunt, quas aures habeant, aut quid
in his hominis ſimile ſit, neſcio. Et poſt uerba aliquot interiecta: Eſſe in oratione numerum quendam, nõ eſt difficile cognoſcere. Indicat enim ſenſus: In quo iniquum eſt, quod accidit non agnoſcere, ſi quur id accidat, reperire nequeamus. Neq; enim ipſe uerſus ratione eſt cognitus, ſed natura atq; ſenſu, quem dimenſa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturæ & animaduerſio peperit artem.

Ars.

NAturam æmulatur ars, ſed non planè aſſequitur, ut eſt cernere in pictura & in alijs pleriſq; operibus. Eius definitionẽ ex Cicerone & alijs antea poſui. Quam Diomedes ita explicat, ut ſit rei cuiuſq; ſcientia, uſu, uel traditione, uel ratione percepta, tendens ad uſum aliquem uitæ neceſſarium. Ariſtoteles in 1. metaph. oſtendit artes atq; ſcientias natas ab experientia, quæ non aliunde, quàm ex natura & uſu rerum colligitur. Ea quoq; regula ex ijs eſt, quæ aliunde ad rem adferũtur. Vt ſi ſtatuatur, emendate loquendum & ſcribendum, ſicut Priſcianus in arte grammatica docet: probabiliter diſſerendum, ut Ariſtoteles præcipit: copioſe & ornate eſſe dicendum ex præſcriptis M. Tullij & Quintiliani. Ea uero perſequi hoc loco, quid attinet, quum tritiſſimũ ſit dogma, unumquoq; agendum eſſe ex præſcripto ſuæ artis: niſi rerum conditio diuerſum iubeat. Quemadmodum in medendo aliquãdo à præceptis diſceditur, & irregularis medicina uſurpatur. Itidẽ fit in legibus uitæ, ut epieicia moderetur ex æquo & bono. Vt autem leges artiũ conſilio & prudentia moderari conueniat, probe docet Quintilianus in 2. lib. de modo ſeruando in arte. Nemo, inquit, à me exigat id pręceptorum genus, quod eſt à pleriſq; ſcriptoribus artium traditum, ut quaſi quaſdam leges immutabili neceſſitate cõſtrictas ſtudioſis dicendi feram. Et mox infra: Mutãtur pleraq; cauſis, temporibus, neceſſitate, occaſione. Atq; ideo res in oratore præcipua conſilium eſt, quia uarie & ad rerum momenta conuertitur. Ac rurſum: Mihi ſemper moris fuit, q͂ minime alligare me ad præcepta, quæ καθολικὰ uocant, id eſt, ut dicamus, quomodo poſſumus, uniuerſalia uel perpetualia. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua & ſubrui poſſit. Interim nolo ſe iuuenes ſatis inſtructos, ſi quem ex ijs,

Digitized by Google

 qui breues plerunq; circunferũtur, artis libellũ edidicerint, & uelut decretis technicorum tutos putent. Multo labore, aſſiduo ſtudio, uaria exercitatione, pluribus experimentis, altiſſima prudentia, præſtantiſſimo conſilio conſtat ars dicendi. Sed adiuuatur his quoq;, ſi tamen rectam uiam, nõ unam orbitam monſtrent. Qua declinare qui crediderit nefas, patiatur neceſſe eſt illam per funes ingredientium tarditatem. Itaq; & ſtratum militari labore iter ſæpe deſerimus compendio ducti. Et ſi rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur. Et ſi ianua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Late fuſum opus eſt, & multiplex, & prope quotidie nouum, & de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ ſunt tamen tradita, quid ex ijs optimum: & ſi qua mutari, adijci, detrahi melius uidebitur, dicere experiar. Quando autem grammatica, & reliquæ ſcientię, profeſſores nactæ ſint, & quibus potiſſimum ſit utendum, ab alijs eſt copioſe expoſitum.

Authoritas & imitatio.

VT in omnibus uitæ partibus authoritas plurimum ualet, ita etiam in uniuerſo linguarum & ſermonis uſu. Et ut in officijs magnus eſt error peruerſæ imitationis, ita etiam in loquendi ratione. Vnde poeta Horatius ſtomachatur, inquiens:

O imitatores ſeruum pecus: ut mihi bilem
Sæpe mihi ſtomachum ueſtri mouere tumultus.

Infinitum foret enumerare mala, quæ infelix iſta cacozelia hominibus adtulit. Præclare ſcilicet pronunciauit ille, ſe malle cum Platone errare, quàm cum alijs recte ſentire. Ciceronem pulchre formauit Plato, formauit Demoſthenes. At quàm nihil ad Parmenonis ſuem, qui ſe mox Ciceronianos putãt, quum iſtam clauſulam poſuerunt, eſſe uideatur, aut cõſimilem. Nec ſine cauſa Eraſmus ridet quoſdam ineptos Ciceronianos, & præcipit ſapienter, quid adferre oporteat eum, qui Ciceronis ſtudeat æmulus eſſe & ueluti Simius. Grauiſſime Fabius lib. 10. de imitatione ſcripſit: Non dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut inuenire primum fuit, eſtq; præcipuum, ſic ea quæ bene inuenta ſunt, utile ſequi. Atq; omnis uitæ ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in alijs, facere ipſi uelimus. Sic literarũ ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequũtur. Et iterum: Exactiſſimo iudicio circa

hanc

hanc partem ſtudiorum examinanda ſunt omnia. Primum quos imitemur, deinde in ipſis quos elegerimus, quid ſit, ad quod nos efficiendum comparemus. Ac poſtea: Habet omnis eloquentia aliquid commune: id imitemur, quod commune eſt.

Idem lib. 1. docet eandem eſſe obſeruationem circa authoritatem, quæ eſt uetuſtis adhibenda. Etſi enim uideri poteſt, nihil peccare, qui utitur uerbis, quæ ſummi authores tradiderũt, multum tamen refert, non ſolum quid dixerint, ſed etiam quid perſuaſerint.

Antiquitas archaiſmos.

SPectatur antiquorũ uſus non ſolum in dictionibus, ſed etiam in literis, ſyllabisq́, & in ſtructura. De literis inquit Agretius: Veteres maioris rei ſermones cum diphthongo & quadam dignitate ſcribi uoluerunt, ut præmiũ, at pretium ſine æ. Cicero in oratore multa enumerat antiquis probata in orthographia, quæ ſuo tempore placere deſierant. De uerbis Quintil. lib. 1. De conſtructione antiqui ſermonis, Diomedes & Priſcianus, de oratorio numero Cic. præſertim in oratore, docent, quid poſteritas mutauerit. Præclare ille quoq́ monuit: Vtere moribus præteritis, & loquere uerbis præſentibus.

Conſuetudo, Latinitas, Peregrinitas.

BReuiter & percõmode Fabius monet de conſuetudine. Conſuetudinem ſermonum uocabo conſenſum eruditorũ, ſicut uiuendi conſenſum bonorum. Vt enim uelli, & comã in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc inuaſerint ciuitatem, non erit conſuetudo, quia nihil horũ caret reprehenſione: at lauamur, & tondemus & conuiuimus ex conſuetudine. Sic in loquendo nõ ſiquid uitioſe multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendũ erit. Hæc Fabius. M. Varro 2. lib. de analog. Vt ſuam quiſq́ conſuetudinem, ſi mala eſt, corrigere debet, ſic populus ſuam. Ego populi cõſuetudinis non ſum ut dominus: at ille meæ. Vt rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſq́ in naui: ſic populus rationi, non ſinguli populo. Eſt omnino ut publica moneta non utiq́ adulterina, ſed proba utimur, ita etiam ſermone recepto & uerbis uſitatis loquendum.

 Latinitas huc pertinet, non illa quæ ſermonem conſeruat pu-
rum ab omni uitio remotũ, ut in rhet. ad Heren. definitur. Nam
ſolœciſmi atq; barbariſmi uitia remouere debet ars grammatico
rum. Sed, ut Fabius de ſimplicibus uerbis pronũciat, quædã eſſe
noſtra, quædam peregrina. Habent enim linguæ tam in partibus
dictionum & conſtructione, quàm in uocibus ſingulis quiddam
uernaculum & peculiare: quod in Latino ſermone dici recte ui-
detur Latinitas, ut in ſermone Græco helleniſmus, in Ebraica lin
gua Ebraiſmus. Quemadmodum Ain litera eſt Ebræorum pro-
pria & uernacula. Itemq; tzade: de qua litera Hieron. nezer per
ʏ literã ſcribitur: cuius proprietatem & ſonũ inter z & ſ Latinus
ſermo nõ exprimit. Quò pertinet, quod Priſcianus ſcribit Syros
& Aegyptios aſpirationem in fine dictionum ponere ſuo more.
Iam Eretrienſium rho etiam prouerbiali figura iactatũ eſt. Ante
quoq; ex Fabio monui, quod ſint proprij quidam & innumerabi
les ſoni, quibus nonnunquam nationes reprehẽdimus. In uerbis
illud ad proprietatem pertinet, quod Germanis principalis uox,
& thema fermè eſt unius ſyllabæ, Græcis & Latinis, duarum ſyl
labarum. ϑεός, deus, thiet uel theut uel goth. Quod poſitio uerbi
eſt in Ebraica lingua tertia perſona præteriti temporis ſingularis
numeri: In Græco & Latino ſermone prima perſona ſing. præ-
ſentis temporis: In Germanico & Sclauenico ſermone imperatiui
modi ſecũda perſona. In toto etiam genere dicendi uernaculum
& gentilitiũ aliquid animaduertitur, ut de Aſiatico, Attico, Rho
dio, Laconico ſermone ante dictum eſt. Cuius generis eſt, quod
authore Diogene σκυθῶν ῥῆσις Scythica oratio dicta eſt prouerbia
li figura pro audaci & confidenti. Porrò quod Diomedes ait, La
tinitatem cõſtare natura, analogia, conſuetudine, authoritate, ma
nifeſtum eſt pertinere ad omnes linguas, & latius patere in ſingu
lis earum uim.

De peregrinis antea quoq; dictum eſt, quum ageretur de mu-
tatione linguarum. Verba quidem ex omnibus linguis & genti
bus facile influunt in aliquem ſermonem. Quemadmodum Lati
nus ſermo plurima habuit: ut rhedam ex Gallis, gurdũ pro ſtoli-
do ex Hiſp. Attegiæ Maurorum ſunt: Maſtruca Sardorum non
Hiſpan. ut obiter ſupra cõmiſſum mendum caſtigem. In his qui-
dem barbaralexis appellari ſolet. Cæterum de Græcis & Latinis
mutua accipientibus inuicem uerba Quintilianus ita loquitur:

Sed

Sed hæc diuiſio mea (nempe ut quædam Latina ſint, quædam pe regrina) ad Græcum ſermonem præcipue pertinet. Nam & maxima ex parte Romanus inde conuerſus eſt. Et confeſſis quoqꝫ Græcis utimur uerbis, ubi noſtra deſunt. Sicut illi à nobis nõnunquã mutuantur. Huius generis eſt, quod Græca forma declinandi aliquoties adhibetur, ut Orphea pro Orpheum. De literis Cicero in oratore ſic ſcribit, memorans conſuetudinem ueterem. Purrum ſemper Ennius, nuſquã Pyrrhum. Phruges non Phryges, ipſius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam literam adhibebant, nunc etiam duas. Et quũ Phrygum & quum Phrygibus dicendum eſſet, abſurdũ erat aut tantum barbaris caſibus Græcam literam adhibere, aut recto caſu ſolum Græce loqui: tamen & Phryges & Pyrrhum aurium cauſa dicimus.

Analogia, etymologia, anomalia.

HAec duo rationis nomine complexus eſt Quintil. De quibus M. Varro ſex libros fecit, & ſeparat analogiam à ratione lib. 3. de analog. Dicam de quatuor rebus, quæ continẽtur declinationibus uerborũ, quid ſimile ac diſſimile: quid ratio, quam appellant λόγον: quid proportio, quam dicunt ἀναλογίαν: quid conſuetudo: quæ explicatæ declarabunt analogiam & anomaliam, unde ſit, quid ſit, cuiuſmodi ſit. Definit autem, ut ſit analogia uerborum ſimilium declinatio ſimilis. Quæ fundamenta habeat à uoluntate hominum, hoc eſt, impoſitione uocabulorum, aut à natura uocabulorum, ut in declinatione dolo malo dicatur, ſicut, dolus malus: aut ab utraqꝫ re, ut quod impoſitio eſt in noſtro dominatu, nos in natura. Analogiæ, ut Fabius docet, ea uis eſt, ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quæritur, referat: ut incerta certis probet. Vt funis maſculinum intelligitur, quia etiam panis: domus genitiuo plurali domuum, quia etiã manus manuum declinatur: pepigi ut cecidi, à cado, & antiquo uerbo pago. Lepus maſculini generis, quia etiam lupus, ſi quis dicat, iam analogia non conſtabit, quia lepus epicœnum eſt nomen. Itaque meminerimus, inquit Fabius, nõ per omnia duci poſſe analogiæ rationem, cum ſibi ipſa plurimis in locis repugnet. Non præteribo quod Fabius cõſuetudini ſubijcit analogiam. Sic enim ſcribit: Non cum primum fingerentur homines, analogia dimiſſa cœlo

Digitized by Google

 formam loquendi dedit: ſed inuenta eſt, poſtquam loquebantur, & notatum in ſermone quid quoq; modo caderet. Itaq; non ratione nititur, ſed exemplo, nec lex eſt loquendi, ſed obſeruatio. Vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit, quàm conſuetudo. Hæc ille. Qui cogitauerit quam uim habeat comparatio ſimilium, & parium & maiorum atq; minorum in ratiocinando, intelliget non ſine idonea cauſa me analogiam, hoc eſt, proportionem eorum, quæ ſub eandem rationem cadunt, inter ſermonis canones principales collocare. Cæterum non tantum in ſingulis uerbis ſpectatur analogia, ſed etiam in conſtructione dictionum. Nam ut pridie eius diei recte dicitur, ita etiam poſtridie eius diei: ut ſcribere grammaticam, uel de grammatica recte & Latine dictum eſt, ita etiam ſcribere geſtas res aut de rebus geſtis. Et omnino latiſſime patet analogiæ ratio in uniuerſa doctrina ſermonis, quum ſimilia & paria intelliguntur eadem eſſe conditione. Analogię affinis eſt ὁμαλία, hoc eſt æqualitas, de quā ſcripſit Ariſtarchus, iubēs ſequi uerborum ſimiles inclinationes, quoad patiatur cōſuetudo. Varro autem ſubijcit, quod conſuetudo & analogia coniunctiores ſint, q̄ hi credunt, qui iubent in loquendo partim ſequi conſuetudinem, partim rationem: quia ex quadam conſuetudine analogia nata eſt, & ex hac conſuetudo, & diſſimilibus & ſimilibus uerbis eorum, quod declinationibus cōſtat. Quare neq; anomalia neq; analogia eſt repudianda.

Anomalia opponitur homaliæ & analogiæ. Chryſippus enim περὶ ἀνομαλίας ſcripſit contra analogiā. Neq; uerba duntaxat anomala ſunt, & inæqualis declinationis, ut ſum, uolo, fero, ſed etiam nomina, quæ uocantur heteroclita & uarie inclinata. Quibus finitima ſunt defectiua, de quibus rectius dicetur in ſecundo libro.

Etymologiam Laurentius Valla, magnus utiq; aſſertor Latini ſermonis, planè repudiat. Veluti quum ſcribit: Nihil habet magis ridiculum grāmatica, quàm etymologiam, in qua ipſe quoq; Varro luſit, & luſus eſt. Et iterum: Etymologia plerunq; fallax eſt, & in primis, niſi fideli fundamento nitatur, friuola. Diuus etiā Auguſtinus in lib. de dialectica: De origine uerbi quæritur, cum quæritur unde ita dicatur, res mea ſentētia nimis curioſa, & non nimis neceſſaria. Neq; hoc mihi placuit dicere, quod ſic Ciceroni quoq; idem uidetur. Quamuis quis egeat authoritate in re tam perſpicua? Quod ſi omnino multum iuuaret explicare originem

uerbi,

uerbi,ineptum eſſet aggredi,quod perſequi profecto infinitũ eſt: & quæ ſequunť. Habuit tamen etymologia ſuos aſſertores haud quaquã ſpernendos,ueluti ſtoicos,qui putauerunt nullũ eſſe uerbum,cuius non certa ratio explicari poſſit,ſed eam in alijs conſpicuam eſſe,in alijs latere. Verborum explicatio probata eſt etiam academicis, qua de cauſa quæq; eſſent ita nominata, quam etymologiam appellãt,Cicerone teſte in 1.acad.quæſt. Varro libros tres fecit de diſciplina,quam uocant ἐτυμολογικὴν,quæ ſcrutatur, cur & unde ſint uerba. Plato etiam in ea totum dialogum Cratylum conſumit. Etymologiam quoq; Ariſtoteles inter locos argumentorum ponit, & quidem non infimo loco,uocans σύμβολον, hoc eſt,notationẽ rei.Nominisq; interpretatione uti uidemus nõ oratores modo forenſes, ſed etiã philoſophos & theologos in arduis diſputationibus. Vt Ariſt.iuſtitiæ officiũ in ethicis oſtẽdens æqualiter diſtribuere, δίκαιον quaſi δίχαιον eſſe dictã allegat pro ratione,ut quod δίχα bipartito tribuat.Et Cicero fidẽ eſſe dictam adſtruit,ut fiat quod dictum eſt. Et aliquam diuinæ prouidentiæ portionem religioſi homines collocant in ratione nominis maxime proprij. Cur enim Adam terreus,cur Eua ſeu Haua, uiuida, cur Seth poſitio,cur Noë requies,Peleg diuiſio, Abraham pater multitudinis & turbæ, Iſaac riſus, Iacob calcator, Edom ruffus, Seir hiſpidus, deniq; cur filius dei incarnatus & Mariæ uirginis Ieſus ſeruator ſit dictus,etymologica ratione explicat ſpiritus ſanctus in diuinis literis. Quã acute & ſapienter Abigail ad eripiendum maritum è periculo capitis, ne à Dauide occidatur ob cõtumeliam,quã ei,& ſocijs fugę intulerat, argumentum petit à ratione proprij nominis? Dauidis fortiſſimi uiri eſt contemnere iſtam contumeliam acceptam à ſtolido homine, qui reſpondet moribus ſuo nomini.Nabal enim Ebręis ſonat ſtolidum.Quod autem ineptas origines Varro interdum proponit,nec non Palto,ut quum ἀλήθειαν dictam putat,quaſi ἄλην θείαν,non tollit rem ipſam,ſed redarguit hominum in re non leuicula incogitantiam aut ignorationem. Cauſæ ignorãtiæ quædam & obſcuritatis in etymologijs à Varrone indicãtur & ab Auguſtino,quas ſuo loco reddã.Equidem ſentio cum illis, qui putant etymologiam habere uſum neceſſarium,inter quos etiam eſt Quintil. Eiq; locum aſſignabo in ſecundo libro,non ſine cauſa: quum uidelicet quinq; res explicabuntur, quæ ſpectandæ ſunt in ſimplicibus uocibus,originatio,

 uis, & ſignificatio, inclinatio, cõpoſitio, ſtructura. Cæterum conuenientia quædam exiſtere debet inter uoces & res. Quam inter canones principales collocandam eſſe omnino cenſeo, qui ad omnes linguas pariter ſpectant.

Conuenientia rerum & uocum.

QVæ lex à præſtãtiſſimis oratoribus præſcribitur obſeruanda in eloquentia tota, ut oratio conueniat rebus, facileq; primatum obtinet inter omnes canones, ſiquidem rebus notãdis & imprimendis in animos aliorum uerba inſtituta ſunt, in ſingulis uocibus, & particulis uocum retinẽda eſt, ut congruant uoces & uerba. Eaq; obſeruatio per omnes linguas extat. Cicero quidẽ in oratore ſtatuit: Pulchre & oratorie dicere, nihil aliud eſſe, q̃ optimis ſententijs uerbiſq; lectiſſimis dicere. Optimum autem oratorem deſignat illum, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Ex quibus docere debitum eſt, delectare honorarium, permouere neceſſarium. Quæ nemo conſequetur, niſi adhibeantur apta & cõuenientia rebus & perſonis exordia, cæteraq; partes orationis, argumẽta, uerba, uerborumq; figuræ, ſententiæ, compoſitio: & quũ dicitur actio. Quando etiam requiritur memoria omnium rerum, quæ dicendæ ſunt quaſi fundamentũ. Quæ prudentia uel potius ſapientia moderatrix eloquentiæ deſcendit etiam ad ſingula uerba, ut apta ſint rebus, & ampla rebus amplis accommodẽtur, tenuia extenuandis, ſordida ſordidis, ut quum uilis hominis res dicuntur collocatæ fuiſſe in ſarraco. In particulis etiam dictionum ea ſpectanda eſſe Plato indicat in Cratylo, reſoluens uoces in elementa, ut indicet, quàm rebus apta & cõgrua nomina impoſuerint primi authores, adeoq; deus ipſe. Ad quem finem Auguſtinus etiam origines uocũ adducit. Vt uerbi gratia, ſi origo nominis, Vis, quæratur, aut uitis aut uincio uerbi. Vites dicẽtur, quod uinciantur, uincire à ui. Vis appellatur, quia robuſto & ualido ſono uerbum rei, quæ ſignificatur congruit. Vltra quod requirat, non habet. Nemo autem ambigit ſyllabas in quibus u litera locum conſonantis obtinet, ut uafer, uenter, uelum, uinum, uomis, uulnus, craſſum, & quaſi ualidum ſonum edere. Quod approbat etiam loquendi conſuetudo, cum quibuſdam uerbis eas ſubtrahit, ne onerent aurem: ut amaſti potius dicatur, q̃ amauiſti.

Neceſſitas

INter canones uniuerſales & principes non inepte collocantur cauſæ, ut efficiens & finis. Ad efficientis cauſæ rationẽ ſpectat neceſſitas: quæ in omni ſermone iubet atq; defendit plurima. Vt κόϊντος Græci ſcribunt pro Quintus. Aliter enim non poſſunt. Metri quoq; neceſſitas multa in oratione poëtarum excuſat. Plura dicta ſunt in cauſis mutationis linguarum & literarum: quæ huc pertinent.

Honeſtas.

FInis, bonum comprehendit, quod trifariam diſtribuitur, in honeſtum, utile ſeu commodum, & iucundum. Quæ omnia in linguis & ſermone plurimum habent momenti. Vnde regula eſt, ut obſcœnitas uerborum uitetur, & honeſtis uocabulis utamur. Quod obſeruatum eſſe animaduertimus in linguis antiquæ probitatis. Vt enim peritus architectus in ſecretiora loca domus reijcit, quæ oculos & nares offendere poſſent: ita recte loquendi ratio præcipit uerecundia uerborum tegere turpitudinem rerum. Hinc ſunt illa uocabula tectius res ſubindicantes, pedes tegere, quod Ebræi dicũt, ut Latini ad ſecretiora naturæ ire. παιδοποιεῖν liberis operã dare. Germanica uero lingua, ſin notdurfft thůn/ zeſchaffen han.

Vtilitas & commoditas.

VT res fiat notior & cõmodius perferatur in animos audientium & legentium, tribuendum eſt aliquid captui perſonarum. Sæpe etiam non tutum eſt rem apertius dicere, & ligonem appellare ligonem. Ita Cic. in Tuſcul. inuidentiæ uocabulũ uſurpans, utendum eſt, inquit, docẽdi cauſa uerbo minus uſitato. Auguſtinus ut planius intelligatur, mauult oſſum dicere barbare, q̃ os Latine. In hac regula comprehẽdi mihi uidentur uirtutes orationis, breuitas, ſiue ſyntomia, & perſpicuitas, & epitaſis ſiue ſignificantia.

Voluptas in qua euphonia, cacophonon, & cacoſyntheton.

ORatio numeroſa & ſtructa lepide inſeruit auribus, quarũ iudicium eſt ſuperbiſſimum & delicatiſſimum. De quo Cicero in orat. Genus orationis aptæ & numeroſæ qui nõ ſentiũt,

quas aures habeant, aut quid in his hominis ſimile ſit, neſcio. Meę quidem & perfecto completoq́ꝫ uerborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? Conciones ſæpe exclamare uidi, quũ apte uerba cecidiſſent. Id enim expectant aures, ut uerbis colligatur ſententia. In ſermone quotidiano eſt etiam iſtarum rerum obſeruatio, ut adhibeantur duæ res, quæ permulceant aures, ſonus & numerus, & uitentur cõtraria. Quemadmodum mecum, tecum, nobiſcum Latini dixerũt, pro cum me, cum te, cum nobis: ne obſcœnius literæ concurrerent. Syncope illa, ut Saturnaliûm pro Saturnaliorum diceretur, ex eodem fonte manat, ut uitentur inconcinnæ uoces. Quintilianus de euphonia, quam aliqui ſonoritatem ipſe uocalitatem appellat lib. 1. Sola eſt quæ notari poſſit uelut uocalitas, quæ εὐφωνία dicitur. Cuius in eo delectus eſt, ut inter duo, quæ idem ſignificant, ac tantundẽ ualent, quod melius ſonet, malis. Et Donatus in editione ſecunda: Meminerimus euphoniam in dictionibus plus interdum ualere, q̃ analogiam & regulam præceptorum. Cuius generis eſt, quod modo ex Auguſtino admonui, ſyllabas uitari, in quibus eſt u conſonans, ut abij potius dicatur, q̃ abiui. Vituperatur è regione uitium orationis cacemphatum & cacophonon, ut illud eſt: Numerum cum nauibus æquat. Huc pertinet indecens ſtructura uerborum, quæ dicitur cacoſyntheton, ut: Verſaq́ꝫ iuuencum Terga fatigamus haſta. Præclarum eſt poëtæ uerbum:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Atq́ꝫ hæc de ſummis regulis omnium linguarum hactenus dicta ſint. Quæ fortaſſe nonnullis breuius perſtricta uidebuntur, alijs uerboſius. Verum qui æſtimabit ipſarum rerum amplitudinem, & quod omnino ad argumentum de communi ratione omnium linguarum & literarum pertinent, deinde quod ſummas rerum attingere hic propoſitum eſt, non artes componere, is, ut opinor, intelliget, me non prætermiſiſſe officium.

De partibus orationis.

ITaq́ꝫ de partibus orationis dicatur. Quæ cognitio, ut quæ maxime, pertinet ad inſtitutum. Diuerſæ autem partitiones etiam excellentiſſimorũ hominũ ſatis arguũt, illum non actum agere, qui linguarum explicationem magis ad methodum appoſitam, quàm

quàm nonnulli Græci & Latini ſcriptores exhibuerunt, ſtudeat
perficere.

A linguæ autem principis tractatoribus initium ſumā. Ebræi enim grammatici linguam uniuerſam diſtribuunt in tres partes, in nomen, uerbum & dictiones. Verbo autem participiū, ut modum uerbi, comprehendunt: in dictione, pronomina, præpoſitiones, aduerbia, interiectiones, coniunctiones. Eadem quoq; diuiſio à grammaticis Arabibus uſurpata eſt. Qui etiam literas ſingulas, quæ tum ad caput, tum ad calcem appoſitæ præpoſitionum & coniunctionum, & pronominum uim habent, in tertia parte comprehendunt, quæ habet indeclinabiles uoces. Porrò in uerbo comprehendunt participium, ut modum uerbi.

Aurel. Auguſtinus in categoriarum explicatione ita ſcripſit: Cum omnis ſcientia diſciplinaq; artium diuerſarum non niſi oratione tractetur, nullus tamen, ô fili Adeodate, in quouis genere pollens inuentus eſt, qui de ipſius orationis uellet origine principióue tractare. Idcirco miranda eſt Ariſtotelis philoſophi diligentia, qui diſſerendi de omnibus cupidus ab ipſius cœpit examine, quam ſciret & prætermiſſam à cunctis, & omnibus neceſſariam. Is igitur nos docuit ex octo his, quas grāmatici partes orationis uocant, eam ſolam recte appellari orationis partem, quæ indicaret aliquid uocabuloq; ſignaret. Itaq; ſolas orationis partes authore Ariſtotele nomen & uerbum debemus accipere, cæteras uero ex his fieri, & compagines orationis potius, quàm partes eius debere nominari. Nomen nanq; perſonam demonſtrat, uerbū quid quiſq; faciat patiatúrue. Id ſecutus Iſidorus lib. 1. etymol. inquit: Partes orationis primus Ariſtoteles duas tradidit, nomen & uerbum, quæ ſignificant perſonam & actum. Reliquæ appendices ſunt, & ex his originem trahunt. Ideo & nonnulli quinq; partes definierunt, quia iſtæ ſuperfluæ ſunt. Ita Boëtius lib. 1. de ſyllog. categ. pronunciat nomen & uerbum duas orationis partes eſſe putandas, reliquas ſex ſupplementa.

Ariſtoteles quidem tertium librum de interpretatione ſic orditur: Primum ſtatuere oportet, quid ſit nomen & uerbum, deinde quid affirmatio & negatio, & pronunciatum, & oratio. Nomen eſt ὑγεια ſanitas: uerbum ὑγιαίνει ualet. In libro autem de poëtica λέξιν orationem diſtribuit in plures partes, ut etiam λόγος oratio, quæ ex nominibus & uerbis conſtruitur, eius pars numeretur.

 τῆς δὲ λέξεως ἁπάσης ταῦτ᾽ ἐστὶ τὰ μέρη. Cuiuſuis orationis hę ſunt partes, στοιχεῖον elementum, ut a, b: συλλαβή, ut gr, gra: σύνδεσμος coniunctio, ut μὲν quidem: ὄνομα nomen, ut homo: ῥῆμα uerbum, ut τρέχει currit: ἄρθρον articulus, ut τὸ hoc: πτῶσις caſus, ut hominum, currebamus: λόγος oratio, ut animal rationale, ut tota Ilias aut Odyſſea Homeri. Caſum uocat, quæcunque à nominatiuo inflectuntur, hominis, homini, hominem, homine, hominū, hominibus, &c. & q̄cunque à uerbis tertiæ perſonæ pręſentis tēporis coniugando ꝓtrahūtur, ut curris, curro, currimus, ualuit, ualebit. Id ex libris etiam peri hermenias patet. Cæterum ea rurſum diſtribuit in genera & partes, ut elementum in uocalem, ſemiuocalem, mutam. Nomen in ſimplex & compoſitum. Et rurſum in proprium, linguam, metaphoram, ornatum, fictum, contractum, protractum. Et alia quædam.

Stoici ut Diogenes & Chryſippus, eas quinque partes orationis dixerunt, ὄνομα, ut Socrates: προσηγορίαν appellationem, ut homo, equus: ῥῆμα uerbum, ut ſcribo, dico: σύνδεσμον uinculum aut ligamen aut coniunctionem, ut quia, nunc, ob: ἄρθρον articulum, ut hic, hæc, hoc. Articulo autem pronomina, & uerbo participium adiunxerunt.

M. Varro 1. libro de analogia: Partes orationis ſunt duę, ſi item in tres diuiſerimus partes. Res quæ uerbis adſignificantur, una quę adſignificat caſus, altera, quę tēpora, tertia quæ neutrū. De his Ariſtoteles duas partes oratiōis eſſe dicit, uocabula & uerba. Idem in eodē libro: Quod ad partes ſingulas orationis pertinet, deinceps dicam. Cuius quoniam ſunt diuiſiones plures, nunc ponam potiſſimum, in quæ diuiditur oratio ſeruanda, ut natura in quatuor partes. Vnam quæ habet caſus, alteram quæ habet tempora, & tertiam quę habet neutrū, & quartam in qua eſt utrunque. Has uocant quidam appellandi, ut homo, Neſtor: dicendi, ut ſcribo, lego: iungendi, ut atque: adminiculandi, ut docte, commode. Appellādi partes ſunt quatuor, è queis dicta à quibuſdam prouocabula, quæ ſunt ut quiſque: uocabula ut ſcutum, gladius: nomina ut Romulus, Remus: pronomina, ut hic hæc. Duo media dicuntur nomina, prima & extrema articuli.

Apollonius uetuſtus grammaticus & diligens & peracutus, rationibus adſtruit Græcæ linguæ & orationis octo eſſe partes: quas & Baſilius in exercitamentis grammaticis ponit, ut recentiores

tiores

dores ſileam: ἄρθρον articulus, ut ὁ: ὄνομα nomen, ut cœlum: ἀντωνυμία pronomen, ut ἐκεῖνος ille: ῥῆμα, ut curro: μετοχὴ participium, ut currens: ἐπίῤῥημα aduerbium, ut hodie: πρόθεσις præpoſitio, ut ante: σύνδεσμος, ut quia. Et adijcit Apollonius duas eſſe oratiõis partes proprie: nomen & uerbũ, reliquas συσσημαίνειν, cum alijs iunctas aliquid ſignificare: aut aliarum uocum, hoc eſt, nominis & uerbi ſignificata, intẽdere, minuere, complere, mutare, & alijs modis afficere, ut de aduerbijs & præpoſitionibus definiendo pronunciant grammatici. Priſcianus ait ſecundum dialecticos duas eſſe duntaxat partes orationis, nomen & uerbum: reliquas partes appellari ſyncatagoremata, hoc eſt, conſignificantia. Stoici nomen & appellationem ſeiunxerunt, pronomen & articulum coniunxerunt, articulos infinitos appellantes ὁ ἡ τὸ, pronomina uero articulos finitos. Participium adnumerauerunt uerbo, nominãtes uerbum participiale, uel uerbum caſuale. Aduerbia nominantes adiectiua uerborum, uel nominibus uel uerbis adiunxerunt. Præpoſitionem autem copularunt coniunctioni, uocantes præpoſitiuam coniunctionem. Quidam infinita uerba etiam ſeorſim pro una orationis parte poſuerunt. Quidam & uocabulum, & interiectionem poſuerũt. Ita etiam apud Græcos XI. aut XII. partes fuerunt orationis ſeparatis illis, quas ſtoici coniunxerunt. Eſt operæpretium Quintiliani cap. de partibus orationis ex lib. I. inſtitut. ad uerbum ſubijcere: Tum uidebit, ad quem hoc pertinet, quot & quæ partes orationis. Quanquã de numero parum conuenit. Veteres enim, quorum fuerunt Ariſtoteles atq; Theodectes, uerba modo, & nomina, & coniunctiones tradiderunt, uidelicet quod in uerbis uim ſermonis, in nominibus materiã, quia alterum eſt quod loquimur, alterũ de quo loquimur: in coniunctionibus autem eorum complexũ eſſe iudicauerunt. Quas coniunctiones à pleriſq; dici ſcio. Sed hæc uidetur ex ſyndeſmo magis propria translatio. Paulatim à philoſophis ac maxime ſtoicis auctus eſt numerus. Ac primum coniunctionibus articuli ſunt adiecti, poſt præpoſitiones, nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde miſtum uerbo participiũ, ipſis uerbis aduerbia. Noſter ſermo articulos non deſiderat, ideoq; in alias partes orationis ſparguntur. Sed accedit ſuperioribus interiectio. Alij tamen ex idoneis authoribus octo duntaxat partes ſecuti ſunt, ut Ariſtarchus, & ætate noſtra Palæmon, qui uocabulũ ſiue appellationem

nomini ſubiecerũt tanquam ſpecies eius. At iј, qui aliud nomen, aliud uocabulum ab appellatione faciunt, nouem. Nihilominus fuerunt, qui ipſum adhuc uocabulum ab appellatione diducerẽt, ut eſſet uocabulum corpus uiſu tactuq́ʒ manifeſtum domus, lectus: appellatio cui uel alterũ deeſt uel utrunq́ʒ, uentus, cœlum, deus, uirtus. Adiјciebant & aſſeuerationem, ut heu, & tractationem, ut faſceatim: quæ mihi non approbãtur. Vocabulum an appellatio dicenda ſit προσηγορία, & ſubiјcienda nomini nec ne, quia parui refert, liberum opinaturis relinquo. Hæc fabius. Porrò Donatus pueros docet octo eſſe partes orationis, quemadmodũ Palæmon, P. Conſentius, Diomedes, Priſcianus, quos turba grammaticorum Latinorum, eaq́ʒ ingens ſequitur.

Quid igitur ſequendum nobis erit in hac diſcrepantia doctorum, & quidem in re pręcipui momenti? quæ niſi recte fuerit conſtituta, methodi ædificium non poteſt feliciter conſtrui aut reſolui? Quemadmodum in medicinæ methodo primatũ obtinet anatomia. Non prolixus ero uel refellendis aliorum dictis, uel redditis rationibus tuendo eorum ſententias. Sed rem ipſam ex regulis generalibus iam præſcriptis & doctrina methodi ſtudebo aperire. Primumq́ʒ nobis uidendum erit, ex quo rerum genere ſit oratio uel ſcripta uel ore pronunciata. Magno conſenſu dicunt omnes uocem eſſe. An autem uox ſit corpus, ut aër & ſpiritus animalis, an quantitas, an qualitas, an actio, an relatio, uideo quoſdam hæſitare, aliquos aſſerere corpus eſſe, ut ſtoici fecerunt, in quorum opinionem deflexit Priſcianus, & aliј quidam. Ariſtoteles quoq́ʒ uideri poteſt in ea ſententia fuiſſe, quum uocem aërem ictum dicit, quumq́ʒ orationi partes tribuit, quę termino communi coniungantur, ut corporis partes. Vocem eſſe qualitatem, quę obiecta ſit auribus, ut odor naribus, ut ſapor guſtui & lingue, ſcriptam uero orationem eſſe qualitatem obiectã oculis, ut colores, ut punctum, linea, pictura, omnesq́ʒ formæ & figuræ tam ſimplices quàm compoſitæ, ratio conuincit: quæ ſuperat omnem authoritatem humanam. Et cum ratione faciunt authores, quos iure præferamus multis aliјs. Apponenda eſt igitur Pythagoræ, Platonis & Plutarchi ſentẽtia. Sic enim ſcribit Plutarchus lib. 4. de placitis philoſophorum, πυθαγόρας, πλάτων, ἀριστοτέλης ἀσώματον. οὐ γὰρ ἀέρα, ἀλλὰ τὸ σχῆμα τὸ περὶ τὸν ἀέρα καὶ τὴν ἐπιφάνειαν, ὑπὸ ποιὰν πλῆξιν γίνεσθαι φωνήν. πᾶσα δὲ ἐπιφάνεια ἀσώματος. συγκινεῖται μὲν γὰρ τοῖς

σώμασιν,

σώμασιν, αὐτὴ δὲ ἀσώματος πάντως καθέστηκεν. ὥσπερ ἐπὶ τῆς καμπτο-μένης ῥάβδου ἡ μὲν ἐπιφάνεια οὐδὲν πάσχει, ἡ δὲ ὕλη ἐστὶν ἡ καμπτομένη.
Quum ſit quæſtio, an uox corpus ſit, & quomodo ſiat echo, ita reſpondetur: Pythagoras quidem, & Plato, & Ariſtoteles uocem aſſerunt incorpoream eſſe. Non enim aërem, ſed figuram in aëre & ſuperficiem ictu ac percuſſione aliqua uocem fieri. Omnis autem ſuperficies incorporea eſt. Mouetur enim unà cum corporibus, ipſa uero plane expers corporis exiſtit. Quemadmodum uirgæ, quæ inflectitur, ſuperficies nihil afficitur, ſed materia eſt, quæ flectitur. Et priori quæſtione de uoce, in qua explicanda Plutarchus oſtendit ſtoicos, Democritum & alios quoſdam corpus exiſtimare uocem, quippe aërem, Platonis definitionem reddit hoc modo: *πλάτων τὴν φωνὴν ὁρίζεται, πνεῦμα διὰ στόματος ἀπὸ διανοίας ἠγμένον καὶ πληγὴν ὑπὸ ἀέρος δι' ὤτων καὶ ἐγκεφάλου καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς διαδιδομένην. λέγεται δὲ καὶ καταχρηστικῶς ἐπὶ τῶν ἀλόγων ζώων φωνὴ καὶ τῶν ἀψύχων, ὡς χρεμαλισμοὶ καὶ ψόφοι. κυρίως δὲ φωνὴ ἡ ἔναρθρός ἐστιν ὡς φωτίζουσα τὸ νοούμενον.* Plato uocem definit ſpiritum per os ductũm à mente, & ictũ, qui ab aëre traditur per aures, & cerebrũ, & ſanguinẽ, quoad perueniat ad ipſam animam. Abuſu quidem loquendi uox etiam dicitur brutorum animalium, ut hinnitus, & inanimatorum ut ſtrepitus. Proprie uero uox eſt articulata, *φωνὴ* dicta, utpote *φωτίζουσα*, hoc eſt, in lucem proferens id, quod cogitatur. Habemus igitur genus orationis & rerum ordinem in quo collocatur, ut ſit qualitas, quemadmodũ ſuperficies. Ex quo iam orationis uelut anatomen licebit agnoſcere. Diuiditur enim ſuperficies in alias etiam ſuperficies, ut ſi quadratum aut circulus in multas figuras diſtribuatur, quæ omnes adhuc ſunt etiam ſuperficies, & partes ſimilares. Deinde unaquæq; ſecari poteſt in lineas. Lineæ uero in tres, quatuor, aut plures lineolas. Quæ abſumentur tandem in puncta uel notas, quę ſunt elementa. Et ſcripta quidem oratio nihil eſt aliud quàm pictura, & proinde ſuperficies: unde libri uocãtur ſyngrammata & grammata. Ponamus igitur ſermonem uel *λόγον* diui Lucę, quo euangelicam hiſtoriam exequitur, ordine deſcriptum in ampliſſima tabula: pictura utiq; & ſuperficies eſt. Eam licebit reſoluere in partes maiores, puta in XXIIII. capita, ut nunc habentur diſtinctiones. Et unaquæq; pars erit ſuperficies & oratio. Eas uero partes rurſum licebit partiri in orationes, quæ iam lineis contineantur. Singulæ, quia pro-

 poſitiones in ſimplices uoces diuidentur, quæ ſint partes lineæ, & tamen ipſæ quoq; lineæ. Illæ autē in breuiculas lineas diuidentur, in ſyllabas, & iſtæ in literas, quæ ſunt adhuc lineæ partim recttæ, partim curuæ, uel potius figuræ, quæ poſtremo reſoluentur in puncta. Sunt igitur partes ſermonis euangelici depicti in tabulam, primum orationes uelut membra, deinde orationum propoſitiones, & propoſitionum partes ſingulę dictiones, & dictionum partes ſyllabæ, ſyllabarū autem literæ, & literarū puncta. Eadem ratione aliquis partietur concionē, quæ pronunciatᷓ in exordiū, narrationē, partitionē, argumentationem, digreſſiones, epilogū: quę mēbra ſunt ipſa quoq; orationes, ut ſi pictū ſimulachrū quis partiatur in caput, brachia, pectus, uentrem, crura. Ea diuidūtur in breuiores orationes, donec pronunciata fiant tribus aut duabus dictionibus terminata. Quæ dictiones reſoluuntᷓ in ſyllabas, & ſyllabæ in literas, quæ ſunt iam ϛοιχεῖα τῆς φωνῆς ἀνθρωπίνης, ut Galenus inquit. Et ad hunc modum Plato componit atq; conſtruit orationem ſimilem faciens ſimulachro picto hominis. Locū ſubijciam interpretatū à Marſilio Ficino. Eſt autem in Platonis Cratylo: Quemadmodum qui rhythmis operam dant, elementorum primo uires diſtinguunt, deinde ſyllabarū tantum, rhythmos tandem ipſos aggrediuntur, prius uero nequaquam. An non ita & nos primo oportet literas uocales diſtinguere, poſtea reliquas, ſecundum ſpecies, mutas & ſemiuocales. Ita enim in his eruditi uiri loquuntur: ac rurſus uocales quidem, non tamen ſemiuocales & ipſarum uocalium ſpecies inuicem differentes. Et poſtquā hęc bene omnia diſcreuerimus, rurſus inducere nomina conſiderareq;, ſi ſunt, in quæ omnia referūtur, quemadmodum elementa. Ex quibus cognoſcere licet & ipſa, & ſi in ipſis ſpecies continentur eodem modo, ſicut in elementis. His omnibus diligenter excogitatis ſcire oportet adferre ſecūdum ſimilitudinem unūquodq;, ſiue unum uni ſit admouendum, ſeu multa inuicem commiſcenda. Ceu pictores ſimilitudinem uolentes exprimere, interdū purpureum duntaxat colorem adhibent, interdum quemuis alium colorem. Quandoq; multos commiſcent, ueluti cum imaginem uiri q̃; ſimilimam effingere uolunt, uel aliud quiddam huiuſmodi, quatenus imago quæq; certis coloribus indiget. Haud ſecus & nos elementa rebus accōmodabimus, & unum uni quocunq; egere maxime uideatur. Symbolaq; σύμβολα, hoc eſt, cōiecta conficiemus,

ficiemus,quas ſyllabas uocãt. Quas ubi iunxerimus,ex eisq́ nomina uerbaq́ conſtituerimus,rurſus ex nominibus ac uerbis magnum etiam quiddã & pulchrum & integrum conſtruemus. Et quemadmodũ totum ipſum compoſitum pictura animal uocat: ita nos contextum hunc integrum λόγον orationem,uel nominandi peritia, uel rhetorica fabricatam, uel alia quauis, quæ id efficiat,arte.

Tenemus igitur ueram orationis partitionem. Aliquæ enim partes ſunt membra orationis, & ipſæ quoq́ orationes:aliquæ dictiones,aliquæ ſyllabæ, aliquæ literæ, & in ſcriptura puncta uel apices etiam.

Orationes à rhetorica, & dialectica, & grammatica tractãtur: ut explicabitur in tribus libris nouiſſimis,ex XXIIII.illis,quibus cenſeo apte perfici opus,quo lingua tota comprehendatur.

Dictionum multæ ſunt differentiæ, quas Fabius in 8. libro de ſynonymia differens attingit,& Eraſ.Roterod. lib.1. de copia uerborum,quæ in genera ſua tribuere non malum fuerit. Ex relatione utentium ſermone,quędam ſunt propria, & domeſtica,& uernacula, aut patria, ut linguæ Latinæ ſua, Græcæ ſua uocabula, Ebraicæ ſua, itemq́ alijs linguis:quædam peregrina ſunt uerba. Quo referri poſſunt artium & profeſſionum peculiaria,ut poëtica,& caſtrenſia,& aliarum artium uocabula. De quibus antea dictum eſt.Ex ætate. Noua nouata,antiqua,priſca,obſoleta, aut etiam obliuia uerba, ut M. Varro appellauit. Ex uſu. Recepta & uſitata,inuſitata.Ex ſono uocalia,iucunda, concinna, dura,aſpera,inſuauia. Ex eodem genere dicuntur ampla uerba,& exigua. Ex cultu.Ornata,inornata & ſimplicia aut naturalia, nitida, elegantia,ſordida. Quæ tamen differentia poteſt ad ſignificationem adiungi. Ex qua illa ſunt: Propria,impropria,trãslata. Significantia,parum ſignificantia. Sublimia,humilia. Honeſta,obſcœna In primis uero illa differentia nobis hic intuenda fuerit, qua dictiones in ſpecies, uel ut conſuetudo loquẽdi apud magiſtros artium obtinuit,in partes orationis diſtribuũtur. Sunt autem octo,quas ordine illo numerabo, quem periculo facto didici aptiſſimũ eſſe linguis diſcendis & tradendis. Pronomen,nomen,uerbum, participium,præpoſitio,aduerbium,interiectio,coniũctio. Quæ quidem recepta uocabula grammaticorum & logicorum omniũ minime improbo. Dummodo cogitetur, hæc nomina uocum pro-

 prietati nõ ſemper reſpõdere, aliaq́ poſſe imponi fortaſſe nõ ineptiora, quęq́ diuerſis linguis congruant interpretata, neq́ id uertendum eſſe uitio & inſolentiæ; ſi alia nomina imponantur uocabulis & terminis artium, quando magni authores non per omnia conueniunt in partium orationis nominibus. Vtq́ appareat octo eſſe partes orationis, aut genera uocũ, quibus unaquæq́ lingua utitur, in ſingulis ſpeciebus coniungã dictiones duarum elegantium & politarum linguarum, Græcæ & Latinæ, & quatuor, ut ſolent appellari barbararum, Ebraicæ, Arabicæ, Germanicæ, & Sclauonicæ.

Pronomen neq́ ante nomen ſemper ponitur; neq́ loco nominis. Verum nominis pariter & uerbi, & aliarum partium orationis locum explet, ac totius orationis. Vt cum theologi articulum Gallicum li ponunt pro quouis alio termino. Et ſi dicam, Orare optimum eſt, quod docuit Chriſtus, quod repetit antecedentem oratiunculam totam. Pronomina ſunt articuli, & alia. Græcę linguæ ut peculiarem articulum uendicant, ſed non deeſt alijs linguis. Ebræorum eſt ה, ſed articulus factus ex הוא. Germani habent er e; uel ſy/es. Id manifeſtũ eſt in uariatione adiectiui glert: glerter man / glerte frow/ glertes uel gleites menſch. In Latina lingua tam poſſim defendere is, ea, id, articulum eſſe, q̃ hic, hæc, hoc, aut in Germanica lingua, der/die/das. Habet Sclauenica lingua omnino articulum ex Græca lingua mutuo acceptum: hic uel is: ὁ ho, Ebr. הוא hu. Arab. hu. Germ. er uel der. Sclau. then. Primitiuum pronomen ego ἐγώ, Ebr. ani & anochi, Arab. ana. ich Germ. iego Sclauenicũ. Quibus ſimilia ſunt partitiua & diſtributiua nomina, ut omnis, nullus. Quæ à dialecticis etiam dicuntur προσορισμοί definitiones, uel ſi uerbũ ex uerbo reddere uelimus, addefinitiones. Quare ſi pronomina definitiuas uoces appellemus, non erit graue peccatum.

Nomen, appellatio, uocabulum, ſeparari non debent. Eſt uox, quæ rem, puta corpus, aut ſpiritum, aut fictum etiam quiddam, ut eſt hippocentaurus, aut inhærens aliquid notat. Auguſtinus in lib. de magiſtro, copioſe docet alias etiam partes orationis ſub nominis titulo comprehendi. Onomatopœia quoq́ tam uerbis congruit quàm nominibus, quãquam fictionem nominis ſonat. Quæ proprie nomina dicuntur eiuſmodi ſunt: homo; ἄνθρωπος, Adã uel Aenoſch, Adam Arabicum, menſch: czlowyek Polonicum,

Verbum actionem aut paſſionem notat, ut ſcribo, γράφω, כתב chathab ſcripſit Ebr. chathaba Arab. ſchzyb, pyſchä. Vſurpatur illa quoq; uox pro alijs orationis partibus, ut nomen. Quintil. libro 1. inſtitut. rhet. Verba nunc generaliter accipi uolo, nam duplex eorum intellectus eſt, alter qui omnia, per quæ ſermo nectitur, ſignificat, ut apud Horatium:

Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur.

Alter in quo eſt una pars orationis, lego, ſcribo. Quam uitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt uoces, dictiones, locutiones.

Participium non ſine cauſa quidam uocarūt nomen uerbale, quidam appellationem uerbi. Ebræi & Arabes, ut dictum eſt, uerbo adiungunt, ut modum aut tempus uerbi. Germanis & Sclauis non deeſt. Tametſi elegātior uſus participij non ab omnibus animaduertitur: ſcribens, γράφων, כותב chotheb, chathibun Arab. eſt nomē uerbale: ſchzybēd/er e es uel s. Germ. pyſchanczy. Scl.

Præpoſitio non ſemper uel in compoſitione uel in appoſitione in omnibus linguis præponitur. Nam Latini aliquoties poſtponunt, ut crurum tenus, Romam uſq;, nobiſcum. Et Græci aliquoties præpoſitionem poſtponūt, ut λόγων πέρι. Et Germani plerūq; in uerbis cōpoſitis ex prępoſitione, ut abſton deſiſtere. Jch ſton ab/ich ſtůnd ab/ſtand ab. In nominibus cōpoſitis & alijs partibus id obſeruaui etiam in Perſica lingua, ut baſs caput, baſſina in caput, greſſine retrorſum. Iam ſunt appendices quidam in fine, qui uim præpoſitionis habent, ut Ebræi dicunt æretz terra, artza ad terram. Ita in Græca lingua δε, θι, θεν, ζε uim præpoſitionis obtinēt, ut œcothi domi, quaſi dicat in domo, œconde domū, œcothen domo, eraze ad terram. Proinde qui appoſitiones potius quàm præpoſitiones appellauerit, non aberrabit. Sunt igitur appoſitiones, ſuper ὑπὲρ, על al, ale Arab. über/nad.

Aduerbium à Græcis & Latinis grammaticis nomen inde accepit, quod uerbo adijciatur. Verum quia iungitur etiam nomini, ut parum ſyncerus, & ſibijpſi, hoc eſt aduerbium aduerbio, ut parum docte, ualde inutiliter, explanationem potius uocauerim, quàm aduerbiū, ut hodie, σήμερον, haiom, älliaum, hüt uel hüdd, dzyſya.

Interiectio non tam inter alias uoces inſeritur, quàm in princi-

 pio aut fine orationis ponitur: aliquando & ſola. Vt ridens & cachinnans quid aliud ſonat, quàm aha aha, hé hé hé. Itaq; affectio aut affectionis ſignum aut nota poſſet appellari, ut o o ὦ ὤ, אוי oi, ia Arab.

Coniunctio Quintilianus maluit complexum ex συνδέσμων dicere. Vt, quia, ὅτι hoti, כי chi. Chi Arab. wann/yſch.

Porrò in ſingulis dictionibus ſpectari conuenit quatuor, originem, uim ſignificandi, declinationem, ordinationem, ut Auguſtinus etiam & Quintil. docent: ſed & compoſitio huc pertinet.

Syllabæ differũt tono & proſodia, acutæ, graues, inflexæ, longæ, breues. Differunt ſono etiam, aſperæ, leues: & poſitu, primę, ultimæ & mediæ, penultimę, antepenultimæ. Ex ſyllabis etiam dictionum eſt differentia, ut ſint monoſyllabæ, diſſyllabæ, polyſyllabæ.

Literæ ſunt uocales & cõſonantes. Conſonantes ſemiuocales, mutæ, liquidæ, duplices. Hæc partitio eſt orationis. Attingenda ſunt etiam genera linguarum & orationis, idq; paucis.

Genera linguarum & orationis.

NOminat diuinus Paulus genera linguarum inter chariſmata cœleſtis munificentiæ. De quibus fortaſſe aliquid dicendum eſt. Nam earum una eſt differentia ex origine. Siquidem Ebræa eſt primigenia, reliquæ ex ea propagatæ & genitæ ſunt. Quarum aliæ longius degenerarunt à principali ſermone, ut dialecti filiorum Iapheth: quędã arctius adhæſerunt linguæ primæ, ut dialecti filiorum Sem: quædam medio ſe modo habent, ut dialecti filiorum Cham. Iam in ſingulis ſpectatur aliqua differẽtia ex ætate, ut ſit Latina lingua uetus, & neoterica. Intra quæ duo extrema etiam alij gradus ſunt. Eſt etiam differentia ex copia & inopia, ex elegãtia & ſqualore, ex cultu & neglectu, ex uocum aſperitate & lenitate. Vnde mihi uidetur barbariſmi nomen pręcipue obtruſum eſſe quibuſdam linguis. Dedit enim muſa Græcis loqui ore rotundo, ut inquit poëta, qui crebriores habent uocales. Proxime accedit Latina lingua. Ebraica literas aſperiores & ſyllabas r, ſ, tz, ſch, ſæpius uſurpat, & uocales, ubi commode fieri poteſt, excludit. Virilior & magis maſcula, uel ſi placet ita uocare, aſpera & barbara magis eſt Germanica. Sclauenica etiam cre-

briores

briores denſat conſonantes. Conferuntur autem linguę in omnibus partibus, in elementis, ſyllabis, dictionibus, & orationibus.

Genera orationis ſpectantur ex argumēto ſeu materia & ſubiecto. Vnde ſunt didacticæ orationes, laudatoriæ, deliberatiuæ, iudiciales, hiſtoriæ, fabulæ, quæ rurſum continent ſubiectas formas. Ex rebus autem & uerbis accidit orationi, ut dicatur copioſa aut ſterilis: nec non ſublime, humile, & mediocre genus dicendi. Qualitas etiam non uno modo facit orationes differre. Nam orationes quædam ſunt moratæ, & ut uocant patheticæ, quæ mitiores aut uehementiores etiam motus animi exprimunt, aliæ ſegnes & torpidæ. Sunt & alia genera & characteres orationis, de quibus rhetores explicāt, Cicero, Fabius, Tacitus, Hermogenes, & Theophraſtus, & alij. Iam & illa orationis differentia eſt, quod λόγος uel eſt ἐνδιάθετος intrinſecus ſermo, quo rem apud ſe quiſque reputat, uel dormiens uel uigilans: uel προφορικός, qui exprimitur. De qua Damaſcen. lib. 2. cap. 38.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

De lingua & ore.

DE ui linguæ, labiorum, dentium, arteriæ, pulmonis, & aliarum partium ad uſum uocis exprimendæ, pie philoſophatur Cicero in 2. lib. de natura deorum, ſi tantū pluralis numerus deorum in unitatem reuocetur. Colligit enim inde, hominibus â dijs prouideri. Multa quoq; Galenus diſſerit de organis uocis, præſertim lib. 9. & 11. de uſu partium. Ariſtoteles etiam 2. libro de partibus animalium, & 4. lib. de hiſtoria animaliū. Et Lactant. Firmianus in libro de opificio dei.

Sunt autem plurima de legitimo uſu linguæ à ſapientibus Ebræis, Græcis & Latinis, & aliarum linguarum hominibus præſcripta: quæ ut ab uno cœleſti magiſtro proficiſci agnoſcimus, ita pertinent ad omnes populos & nationes. Præclare & diuinitus monuit, qui iuſſit linguam habendā in frenis. Quemadmodum apoſtolus Iacobus docet: Si quis ſibi uidetur eſſe religioſus, μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ, hoc eſt, non refrenās linguam ſuam, eius uana eſt religio. Et Ieſus filius Sirach: Aurum & argentū tuum conflate, & uerbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos, & *Iaco. 1.* *Eccleſ. 28.*

 attende, ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantiũ tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem. Quid
Pſal. 140 Dauid propheta orat? Pone domine cuſtodiã ori meo & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Non declines cor meum in uerba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Quid maxime conqueritur in exilio ſibi obeſſe? Linguam delatorum apud Saulem.
Pſal. 119. Quid addetur tibi, aut quid adijciatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cũ carbonibus deſolatorijs. Et ſapientiſ-
Prou. 6. ſimus Solomon in prouerbijs teſtat' deũ maxime odiſſe bilingues, qui aliud promptum gerunt in lingua, & aliud abſtruſum in pe-
Prou. 18. ctore. Idem ait: Vita & mors in manu linguæ. Refert Zenobius etiam adagium uetus iactatũ in eos, qui lingua tum proſunt tum nocent. γλῶσσα ποῖ πορεύῃ πόλιν ὀρθώσουσα, καὶ πάλιν καταστρέψουσα. Lingua quò uadis oppidum erectura, & rurſum deſtructura? Diuina quoq; planè ſententia eſt ſapientiſſimi poëtæ Heſiodi, qui theſaurum dicit ingentem linguã, ſi moderate illa utamur, quæq; multam pariat gratiam. Sic enim canit:

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Cæterum ut lingua, & os, & labium pro differentia ſermonis tropicôs uſurpentur, antea monui. Tropus etiam eſt, quum lingua gentem ac populum ſignificat utentem peculiari dialecto, ut in Danielis prophetia, & in apocal. Monet autem ipſa natura cuſtodire linguam, quæ tot clauſtris & ſeptis eam circundedit, cœloq; capitis ſubiecit.

De ſtylo, penna, calamo, typis ſtanneis.

VT lingua eſt organum exponendi animum per uocem, ita ſtylus graphiarius, quum notis literarum animi ſententia pingitur & exaratur. Cuius formam uſumq; oſtendit Petrus Crinitus lib. 17. de honeſta diſcipl. cap. 4. Idem explicat prouerbiũ, ſtylum uertere. Transfertur etiam ſtyli ſignificatum ad orationis formam & ſtructuram, & exercitationem ſcribẽdi. Quemadmodum Ciceronis dictio ſtylus Ciceronis dicitur. Cic. 1. de orat. Stylus optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter eſt, neq; iniuria. Quintil. 10. lib. inſtitut. In ijs quæ nobiſipſis paranda ſunt, ut laboris, ſic utilitatis etiam longe plurimum affert ſtylus. Hodie penna & calamus, & ſiquod aliud eſt ſcriptorium inſtrumentum, uicem ſtyli explet.

Cæterũ ut natura in fabrica linguæ dictat leges ſaluberrimas loquendi, ſic inſtrumenta ſcriptoria, quæ natura ſapientibus hominibus monſtrauit, non peius præcipiunt, quomodo ſcribendũ ſit, q̃ ulla præcepta grammaticorum, aut rhetorum, aut ullæ ſanctiones ciuiles. An non ſtylus pugionis modo acuminatus menti ſuggerit, prouidendum eſſe, ne quis innocens appetatur ſtylo, ne ſtringatur, neu infigatur bonis ciuibus: ſed adhibeatur ut gladius authorati militis, qui ex imperio ducis in hoſtem ſtringitur ad tuendam rempublicam? Proferatur igitur ſtylus, ſtringatur in perditos homines, & ad defenſionem bonorum, idq; iuſte & moderate: ut Auguſtinus, Hieronymus, Tertullianus, Iuſtinus, Cyprianus, Theodoritus, aliiq; uiri eccleſiaſtici, & religionis orthodoxæ propugnatores pulcherrimum exemplũ prætulerunt. Etenim ad ſtyli moderationem pertinent etiam, quæcunq; de lingua dici ſolent à ſapientibus hominibus. Vt enim lingua in utranque partem ualet plurimũ, & ad lædendum & ad commodãdum, ita etiam ſtylus. Hieremias enim oſtendens cauſas corruptiſſimi ſtatus in populo Iſraël, & propterea perituro, præcipue & nominatim indicat ſtylum mendacem ſcribarum. Quodq; ſapiens filius Sirach in eccleſiaſtico pronunciat plures interire per linguam, q̃ in ore gladij, hoc ipſum rectiſſime quadrat ſtylo etiam. Habet etiam ſtylus partem alteram latiorem & ad delendum idoneam. Quæ tacite monet, quod Fabius diſerte pronunciat, non minus agere ſtylum, quum delet, quàm quũ ſcribit. Nec male Ruffinus meliorem ſtyli partem dixit aptatam ad delendum & emendandum, quod perperã eſt exaratum. Iam tractanti pennam an non in mentem uenit illud Homericum, ἔπεα πτερόεντα, hoc eſt, uerba eſſe uolatilia? Aut illud Solomonicum dictum, quod prudentiæ & circũſpectionis admonet? Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipſa mediusfidius præla & torcularia typographica nominibus, & forma, & actione profiteri autumo, quòd ſint diuinitus monſtrata, à uiris ſapientibus inuenta, & deſtinata exprimendo ſalutari uino, quod miſcuit atq; propinat cœleſtis ſapientia: & non Circæis poculis, non uenenis mellitis, non uerſiculis Tibullianis & Catullianis, quibus non boni poëtæ ſed mali uerſificatores inſtillant peſtiferam uim teneris animis. Corrumpunt enim bonos mores praua colloquia, ut diuinus Paulus grauiter admonet. Neq; iniuria Plato nullum locum reliquit malis fabula

Hiere.9.

Eccleſ.28.

Prou.9.

 toribus in republica bene inſtituta. Minime gentium literaria torcularia premere debent abominabiles ſuccos impiæ doctrinæ, & ſophiſtices atq; fallacis ſapientiæ. De quibus Moſes canit: *Deut. 32.* De uinea Sodomorum uinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ. Vuæ eorum uua fellis, & botrus amariſſimus. Fel draconum uinum eorum, & uenenũ inſanabile. De quo genere uini eſt, quod aureo poculo, cæterum pleno abominatione & immundicia, propinat magna iſta Babylonica meretrix, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de uino proſtitutionis eius.

De uoce.

NOnnulli grammaticæ ſcriptores initium fecerunt à uoce, ut Diomedes teſtatur. Quomodo Priſcianus etiam auſpicatur ſuam grammaticam. Omnium uero ſtoicorum iudicio dialecticę ſpeculationis ratio à uoce incipere debet. Vt uox edatur, antea eſt indicatum. Plinius de uocibus ita ſcribit lib. 11. naturalis hiſtoriæ: Vocem non habere, niſi quæ pulmonem & arterias habent, hoc eſt, niſi quæ ſpirant, Ariſtoteles putat. Idcirco & inſectis ſonũ eſſe non uocẽ, intus meante ſpiritu & incluſo ſonante. Alia murmur edere ut apes, alia cum tractu ſtridorem ut cicadas. Et ad finem illius capitis: Vox in homine magnã uultus habet partem. Agnoſcimus eam priuſquam cernamus non aliter ꝙ oculis. Tot deniq; ſunt eæ, quot in rerum natura mortales, & ſua cuiq; ſicut facies. Hinc illa gentium totq; linguarum toto orbe diuerſitas. Hinc tot cantibus & modulis flexiones. Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos diſtinxit à feris. Inter ipſos quoq; homines diſcrimen alterum æque grande, ꝙ à belluis fecit. Sunt autem loci Ariſtotelis antea indicati. Nam lib. 4. de animal. hiſtoria ſentẽtia expreſſa eſt, quam recitat Plinius. Idem Ariſtot. lib. 3. de partibus animalium. Potiſſimum locutionis gratia tales totq; numero dentes homo ſortitus eſt. Ad literas enim exprimendas plurimũ conferunt primi dentes. Et in 2. libro de ore, labris & lingua explicãs ait: Sermo, qui uoce promatur, ex literis conſtat. Quod ſi lingua talis, & labra humida atq; agilia non eſſent, maxima literarum pars exprimi non poſſet: quippe cum literæ partim lingua producant̃, partim labris cõprimantur. Sed quas & quot numero differentias hæc habeant, ex eruditis metrica ratione accipiendũ eſt.

Et

Et iterum de lingua: Ad literarum etiam explanationem & ad ſermonis expreſſionem lingua mollis, lata, & abſoluta eſt accommodatior: quippe quæ contrahere, producere, dilatare, denique uarie afformare maxime poſſit. Patet hoc in iis, quibus non ſatis abſoluta eſt. Blæſi enim, balbi & torti ſunt, quod uitium literarum defectus eſt. De uoce quidē plura philoſophi tradunt quàm grammatici, ut Donatus inquit. De ſtoicorū, Platonis, Pythagoræ & aliorum ſententia prius monui, quum de partitione orationis diceretur. Scripſit de uoce integros commētarios Galenus, ut ipſe teſtatur. In 6. quoque libro de partium uſu & 7. rationem uocis aperit. Non pauca etiam oratores præcipiunt de uoce exercenda & moderanda, quippe quæ una pars eſt actionis oratoriæ, cui ſummus Græciæ orator Demoſthenes tribuiſſe fertur primas partes & ſecundas & tertias eloquētiæ. Eius curam Fabius grammaticis grauiter mandat, ut à primis annis pueri aſſueſcant uoci moderandæ & integræ pronunciationi. Plurimum in ea parte natura confert. Sed naturæ bona ſolent cura & induſtria reddi excellentiora, & contra uitia naturæ aliquoties emendari. Quemadmodum in exprimenda litera rho Demoſthenes induſtria naturam uicit. Fuerunt olim doctores uocis aptandæ, qui phonaſci dicebantur. Nunc tota exercitatio illa trāslata eſt in ludos literarios, & priuatam cuiuſuis meditationem.

Priſcianus definit uocem ex ſtoicorum opinione, ut ſit aër tenuiſſimus ictus, uel ſuum ſenſibile aurium. Ita etiam Diomedes. Vox eſt, ut ſtoicis uidetur, ſpiritus tenuis, auditui ſenſibilis, quantum in ipſo eſt. Ante indicatum eſt, ratione & ſummorum philoſophorum ſententia conſtare, uocem eſſe qualitatem nō corpus, aut aliud quicquā. Proprie quidem uox eſt ἔναρθρος explanata, qualis eſt hominis, & quarundam auium: quibus etiam Ariſtoteles propemodū concedit dialectum & ſermonem. Abuſione autem uocabuli brutorum dicuntur uoces, & tonitrua, & alii ſoni rerum inanimatarum. Quemadmodū contra, ſoni dicuntur pro uocibus, ut diphthongi duplices appellantur ſoni.

Diomedes ad hunc modum uocem diuidit, ut partim ſit articulata, quæ & rationalis, hominum loquelis explicata. Eadem literalis uel ſcriptilis appellatur, ut quæ literis comprehendi poteſt. Partim eſt confuſa ſimplici uocis ſono animalium effecta. Quæ irrationalis etiam & inſcriptilis uocatur, ut quæ ſcribi nō poteſt,

 ut hinnitus equi, mugitus tauri. Quidam adiecerunt modulatam uocem, uelut tibiæ & organi. Priſcianus ponit quatuor differentias uocis, quæ ſunt, articulata, inarticulata, literata, illiterata. Vnde quatuor ſpecies uocum perficiuntur, articulata & literata, ut, Arma uirumq; cano: articulata et illiterata, ut ſibili, gemitusq; hominum: literata & inarticulata, ut cra, coax: inarticulata & illiterata, ut ſtrepitus, mugitus, & ſimilia. Porrò uox genus eſt, quod complectitur literam, ſyllabam, dictionem, orationem.

De literis & grammatica.

Literæ poſteritatis cauſa repertæ ſunt, quæ ſubſidio eſſe obliuioni poſſent, ait Cicero in oratione ꝑ P. Sylla. Præclara hæc eſt literarum commendatio ſummi uiri. Sed præclarior eccleſiaſtici oratoris Tertulliani, qui in ſermone de corona militis inquit: Primus Mercurius literas enarrauit. Neceſſarias confitebor & cõmercij rebus, & noſtris erga deum ſtudijs. Literæ denominantur Latinis à lino, unde linea & lineamentũ etiam dicitur. Quanquam non ignoro doctis uiris dictam uideri, quaſi legiteram. Germani à libro & baculo denominant, bůchſtab, niſi quis malit ueſtigia libri ſonare, bůchſtap. Græcis γράμματα à γράφω, quod tam ſignificat ſcribo, quàm pingo. Vnde γραμμάτια, quod nomen eſt ponduſculi, quidam ſcriptula interpretati ſunt. Hinc grammatica literalis & literatoria ſcientia, quę ſola eſt literalis, ut ait Diomedes: ex qua conſiſtunt etiam rhetorice & poëtice. Grammatices originem Plato refert ad Theutum literarum inuentorem, uel potius qui Aegyptijs dedit literas. Poſtquã enim in Philebo docuit, ut uocarit στοιχεῖα elementa, eaq; diſtinxerit in φωνήεντα, ἄφωνα καὶ ἄφθογγα, & μέσα, ſubijcit: Cumq; uideret neminem ipſum unum ſecundum ſeipſum ſeorſim à reliquis percepturum, huiuſmodi uinculũ meditatus, ut unum exiſtens, & has omnes unum quo-

Grammatica. dammodo faciens, unam in ipſis artem nomine grammaticã ſtatuit. Grammaticos fuiſſe in populo Iſraël tempore Moſis, author eſt Auguſtinus. Certè qui literas & uſum literarum animaduertit, fieri non poteſt, quin ſit grammaticus. Itaq; primus homo & patriarcha totius generis humani, qui literas diuina inductione re-

Partes grãmatices. perit, primus utiq; fuit grammaticus. Cuius duæ ſunt partes, methodice, ut Quintil. uocat, uel ὁριστική finitiua, ut Diomedes, utq; alij,

aliĳ, κανονική, quæ præcepta recte loquendi & ſcribēdi, uirtutesq́ & uitia demōſtrat orationis. Alteram Quintilianus hiſtoricen uocat, hoc eſt, enarrationem authorum. Diomedes ἐξηγητικὴν narratiuam appellat, quæ pertinet ad officia lectionis. Ad poſteriorem ſpectant præcipue officia grammatici, quæ Varro tradit, lectio, enarratio, emendatio, iudicium. Quanquā utriq́ parti iudicium mixtū eſſe, putat Fabius. Prioris partis ſunt ὀρθογραφία, ὀρθοέπεια, ἐτυμολογική, συντακτική, & quę progymnaſmata rhetorices tradit, hoc eſt, quædam primordia dicendi, quibus ætates nondum rhetorem capientes inſtituuntur: ut eſt explicatio metaplaſmi, tropi, figurarum, indicatioq́ uirtutum & uitiorū in ſermone, tum quæ proponit Quintilianus prima exercitamēta, & Hermogenes, uel Priſcianus ex Hermogene, & Aphthonius, & Theon. Ad grammatices tractationem eloquentia non mediocri opus eſſe docet Quintilianus, optimus iuuentæ moderator. Cuius uocē utinam quidam feſtinantes nimium ad uerticem eruditionis, & faſtidientes gradus, quibus aſcenditur, & præceptores qui ambitioſa feſtinatione diſcipulos præpediunt. Quo minus, inquit, ferendi ſunt, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cauillantur. Quæ niſi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruet. Neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorū comes, & quę uel ſola omni ſtudiorum genere plus habeat operis q̄ oſtentationis. Ne quis igitur tanquam parua faſtidiat grammatices elementa. Non quia magnæ ſit operæ conſonantes à uocalibus diſcernere, ipſasq́ eas in ſemiuocalium numerū mutarumq́ partiri. Sed quia interiora uelut ſacri huius adeuntibus, apparebit multa rerum ſubtilitas: quæ non modo acuere ingenia puerilia, ſed exercere altiſſimam quoq́ eruditionem ac ſcientiā poſſit. Hæc Fabius. Proinde ut idem iudicium de præſtantia grammatices cernatur etiam in aliĳs uiris principibus in omni literatura, libenter aduoco in hac commentatione dicta ueterum. Tametſi à noſtri ſeculi hominibus multa ſunt præclare ſcripta in hoc argumento.

De orthographia.

RECte ſcribendi ſcientiam Quintilianus interpretatur ὀρθογραφίαν. Cuius ars in hoc poſita eſt, ut nouerimus quibus quęq́ ſyllaba literis conſtet. Cuius rei eiuſmodi obſeruationem præſcri-

 bit. Ego uero quod cõſuetudo obtinuerit, ſic ſcribendum quicq; iudicio, quomodo ſonat. Hic enim eſt uſus literarum, ut cuſtodiant uoces, & uelut depoſitum reddant legentibus. Itaq; id exprimere debent, quod dicturi ſumus. Recta igitur & emendata ſcribendi ratio in literis præcipue ſpectatur. Quanquam & aliæ notæ ad eam pertinent.

Quid litera, & quæ differentia.

SEparant grammatici literam & elementum uelut Diomedes. Litera eſt, quæ ſcribitur & nominatur, ut A. elementum, uis & poteſtas. Itaq; Priſcianum miror magis, q̃ reprehendo, quod nomen, figuram, poteſtatem accidentia literarum dicit. Ab Ariſtotele in libro de poëtica definitur elementum, indiuidua uox, & quidem illa tantum, ex qua ſuapte natura intelligibilis uox conſtitui poteſt. Nam quum ferarum ſint etiam uoces, quia tamen ſunt ἀδιαίρετα indiuiſibiles, nullã earum dicimus στοιχεῖον elementum. Vocalis eſt, quæ ſine ulla prorſus adiectione ſonum reddit, qui exaudiri poſſit. Semiuocalis, quæ non ſine adiectione, ut σ ρ, ſ r. Muta, quæ cum adiectione per ſe nullum omnino ſonum reddit; adiuncta uero ijs, quæ aliquam uocem reddunt, exaudiri poteſt, ut γ δ, g d. Quæ differũt figura oris, locis, ſpiritu flatuq; denſiore, & tenui, longitudine, breuitate, acumine, grauitate, & medio ſeu circunflexione. De quibus ſingulatim conſiderare ſpectat ad metricam rationem. Ex his liquet Ariſtotelem, qui uocales & conſonantes duntaxat nominat de uoce humana loquens in phyſicis, agnoſcere etiam tripartitam diuiſionem, quæ in Philebo Platonis, & apud Plutarchũ & Quintilianum reperitur. Ad hæc Ariſtoteles, proprie ad literas accommodat, quæ ab alijs tribuuntur ſyllabis, & uocantur proſodiæ, ut ſint aſpiratæ, tenues, longæ, breues, acutæ, graues, inflexæ. Quę in carminum ratione perpendi neceſſarium eſt. Vt autem ſit plena literarum diuiſio, potius eam ex Galeno ſummo philoſopho tranſcribam, quàm ex artibus grammaticorũ. Nam lib. 1. method. reprehendens Theſſalum & alios, qui non perfecte morbos partiuntur, perinde facere dicit, ac ſi quis dicat omnes literas eſſe uocales & conſonantes: quum rurſum illarum ſint etiam differentiæ & ſpecies. φωνῆεν γὰρ ὡς εἰπὼν καὶ σύμφωνον, οὔπω τὰ πάντα στοιχεῖα τῆς ἀνθρώπου φωνῆς εἴρηκεν, ἀλλὰ δύο τὰς πρώτας γενικὰς διαφοράς. εἰ δὲ τὰ μὲν φωνήεντα τέμνοιμ

αὖθις

αὖθις εἰς μακρὰ, καὶ βραχέα, καὶ δίχρονα, τὰ σύμφωνα δ' εἰς ἡμίφωνά τε καὶ ἄφωνα, καὶ αὖθις τὰ μὲν μακρὰ διχῆ, καθάπερ οὖν καὶ τὰ βραχέα. τὰ δ' αὖ δίχρονα τριχῆ. καὶ δὴ καὶ τὰ ἄφωνα πρῶτον μὲν. εἰς δασέα, καὶ ψιλὰ, καὶ μέσα. καὶ τούτων ἕκαστον αὖθις τριχῆ, τὰ δ' ἡμίφωνα πάλιν. εἰ καὶ ταῦτα κατὰ τὴν οἰκείαν τέμνοις τομὴν, ἵνα μὴ μακρολογῶ περιττῶς, οὕτως ἂν ἐξεύροις τὰ τέτταρα καὶ εἴκοσι στοιχεῖα τῆς φωνῆς ᾗ χρώμεθα. Et mox: βραχέα μὲν δύο ε καὶ ο. μακρὰ δ' ὁμοίως δύο η καὶ ω, δίχρονα δὲ τρία α ι υ. Enumerat Galenus XXIIII. elementa, nec tamen aſpirationem inter ea ponit. Qua tamen nulla omnino lingua carere poteſt, nō minus quàm uocalibus. Et Græcos quidem uſos olim fuiſſe nota aſpirationis in uerſu, quemadmodum aliorum elementorum notis, antea indicatum eſt in cap. de mutatione literarum. Nota reliqua eſt hodie, qua nonaginta ſignant, nō centum, ut olim. Eſt igitur diuiſionis Galeni hæc ratio.

Vocales φωνήεντα.

Breues ε ο. Longæ η ω. δίχρονα iam breues, iam longæ α ι υ.

Conſonantes σύμφωνα.

Semiuocales λ μ ν ρ σ. Mutę tenues π κ τ. Denſæ φ χ θ. Medię β γ δ. Duplices ψ ξ ζ, ſicut σ. ad ſemiuocales adiungi uidentur. Sic enim diuidi ab aliijs ſolent, ut διπλᾶ ſint ζ ξ ψ. ἀμετάβολα immutabiles, quæ & liquidæ à Latinis dicuntur, λ μ ν ρ. Sui autem iuris σ, quod uocant μονόδικον. Quam diuiſionem & Latini ſequuntur: & ſi quædam literæ deſint Latinis, quas Græci habēt: quædam uiciſſim Græcis deſint, quæ Latinis uſurpantur.

De figura literarum, & ordine, & nominibus in ſuperioribus dictum eſt. Duo autem adhuc ſuperſunt, præcipue in elementis ſpectanda, poteſtas cuiuſq; literæ, & cognatio literarum: quæ in dictionum inflexione, compoſitione, deriuatione, tranſſumptione in alias linguas non parum habent momenti. De Latinarum literarum ſono ac ui diligenter ſcripſerunt Diomedes, & Martianus, & aliij. De Latinis ſimul & Græcis Eraſmus in libro de pronunciatione Græcę & Latinæ linguæ, ut ea repetere, ut longum, ita etiam alienum ab inſtituto compendiariæ cōmētationis fuerit. Vnum hoc attingā, quod monet Quintilianus, num quibuſdam literis carere poſſimus. In qua re ſi proferam, quod ſentio, uereor ne Midæ auriculas aliqui mihi aptent. Scio enim à Fabio dictum, non cuiuslibet auris eſſe, literarū ſonos exigere, non hercle magis q̃ neruorum. Dicam tamen, quod ſentio, quodq; ad li

 terarum cognationem penitius explorandam pertinet. Exiſtimo
enim XIIII. elementis, nimirum uocalibus quinq;, a e i o u, &
aſpiratione h: ſemiuocalibus quinq;, l m n r ſ: mutis tribus, b g
d, notari poſſe non ſolum omnium linguarum uoces, ſed etiam
animalium brutorum. Nam aſpiratio quidem craſſior, qualis eſt
Indorum, & Ebræorum, & Arabum geminata litera h notari po
teſt, ut hharam. V conſonans quid aliud eſt, quàm u uocalis coaleſcēs
cum uocali ſequēti? ut ſi locu & itur iungantur, fiet locuitur, per
inde atq; loquitur ſcriptum eſſet. F autem quid aliud eſt, quàm inten-
tus ſonus u conſonantis? quomodo & Ebræi notant per dages,
ut auah, & intenta uoce u, iuuah uel iſah. Ita i uocalis coaleſcens
cum alia uocali fit conſonans, ut ex lo & uis fit Iouis. Iam p expri
mi poteſt per bb geminatū, & k per gg geminatum. Nam idem
prorſus ualebunt ggabbudd & kaput, uel caput. C autē ut ſonat
ante i & e, ſonum habet literarū dſ uel z, ut dſinis & cinis idem
ualeant. ξ ζ ψ ex duabus literis cōflatas eſſe, nemo dubitat, qui
deguſtauit primas literas. Quare per duas notas recte ſignari poſ
ſunt gs, ds, pſ. Nec nō aſpiratæ φ χ θ, ad hunc modū, bbh, uel uu,
ggh, ddh, ut agſis axis, dſeuuijrus zephyrus. Voces brutorum &
inconditos ſonos hominum, ut cachinnū, ſibilum, murmur, nec
non rerum expertium animæ ſonos poſſe literis Latinis & Græ-
cis notari, teſtant̃ grāmatici, & fictitia nomina, cra, brekekekoáx,
mugitus, cacabus, ſibilus, blytyrý, murmur. Et poëtarū imitatio,
ut Virgilius ſonum malleorum ferientium incudem expreſſit no
minibus Cyclopum, Brontes Steroposq;, &c. λίγξε βιός Home-
rus dicens, ſonū nerui, quum ſagittam mittit, exprimere uoluit.
Eſt autem differentia literarū, quòd aliæ ſunt leniores, aliæ aſpe-
riores, ut l r: quædam uaſtæ, quædam exiliores, ut a i, quæ aures
iudicant, & de his ſcriptores etiam monuerunt, ut Georgius Tra
pezontius in rhet. Eſt & illa differentia in ſyllabarum coagmen-
tatione, quòd aliæ præponunt̃, alię ſubiunguntur: ut in diphthon
gis a præponitur, u ſubijcitur, uelut au, eu, & in conſonantium
copula, pre ſcribi poteſt, rpe nequaquam.

De notis numerorum & aliarū rerum, nec nō diſtinctionum,
& proſodiarum notis, quoniam prius monui, hic prætermitto, ne
crambe ſæpius appoſita enecet. Tantum proponam diagrāma,
in quo literæ cognatæ melius perſpici poſſunt, quàm ex diuiſione lite
rarum, qua per ſua inſtrumēta diſtribuuntur, ueluti in literas lin-
guæ,

guæ,dentium,palati,gutturis,labiorum, quomodo ſolent Ebræi grammatici diſtribuere.

Vocales & aſpiratio.

a	e	i	o	u	h
α	ε η	ι	ο ω	υ	⊢ ⊣

Conſonantes.

l	m	n	r	s
λ	μ	ν γ	ϱ	σ
b	p	f ph w		pſ
β	π	φ		ψ
g	ck	ch		x
γ	κ	χ		ξ
d	t	th		z
δ	τ	θ		ζ

De ſyllabis.

SYllaba,quæ dicitur etiam Platoni ſymbolum,definitur ab Ariſtotele uox compoſita ex muta,& uocem habente nihil ſignificans , ut gr ſyllaba eſt ſine a, ut gra cum a. Quarum ſyllabarum differentias examinare eſt metricæ artis. Hæc definitio non admittit ſingulas uocales in numerum ſyllabarum , non etiam diphthongos. Aliorum definitiones diphthongum planè aſſerunt ſyllabis. Negant autem diphthongum fieri ex tribus uocalibus. Quintil. Atq; etiam in ipſis uocalibus grammatici eſt uidere, an aliquas pro conſonātibus uſus acceperit,quia iam ſicut tam ſcribitur,& uos,ut cos. Atq; ut uocales iungātur,aut unam longam faciant,ut ueteres ſcripſerunt, qui geminatione earum uelut apice utebantur,aut duas. Niſi quis putat etiam ex tribus uocalibus ſyllabam , quod nequit fieri, ſi non aliquæ officio conſonantium fungantur.Cæterum ut quædam impropriæ ſunt diphthongi, in quibus utriuſq; uocalis uox nō ſatis eminet,ita ſunt gentibus quibuſdam ex tribus uocalibus conflatę diphthongi.Quare Latinis literis notabo diphthongos , quæcunq; mihi notæ ſunt in diuerſis linguis. Notabo autem literis & apicibus , ut conuenire exiſtimo.

Digitized by Google

a	e	i	o	u

Impropriæ diphthongi.

ą	ë		ö	ű

Propriæ diphthongi.

ae	ea	ia	oa	ua
ai	ei	ie	oe	
ao	eo	io	oi	ui
au	eu	iu	ou	uo

Diphthongi multiplices.

aä				
ăi		iau	őe	űe
ǻu		iou	őu	űi
aui				űau

Negat Priſcianus in Latino ſermone unam ſyllabam habere plures conſonãtes quàm ſex, ut ſtirps. In alijs tamen linguis etiam pluribus conſonantibus ſyllabæ conſtipãtur, ut gſchp:ügt. Eſtq́ ex ſono & literarum iunctura ſyllabarũ obſeruatio talis, ut Varroni quædam aſperæ dicantur, trux, trans: quædam lenes, Iana, lima: proceræ, facultas: retorridæ, hic: barbaræ, gaza: græculę, hymnus, zenon: duræ, ignotus: molles, ædes.

Ex poſitu ſyllabæ ſunt ultima, penultima, antepenultima: uel quod idem ualet, extrema, proxima extremæ, ab extrema tertia. Item prima, ultima media. Monoſyllabę autẽ uoces loco ſyllabæ ultimę habentur.

In his ſpectantur proſodię, & ſpiritus lenis & denſus. De quo ſępius iam dictum eſt, ut ſermones omnes aſpirationem habeant.

Tempus, quod alię ſyllabę ſunt longę tractim pronunciandę, perinde ac ſi duę eſſent ſyllabę. Vnde pro una longa uocali duas uocales ſcribere ſoliti ſunt ueteres, ut luudus. Quod in Germanica etiam lingua fieret aptius, quàm quod ſcribũt h ad notandam uocalem longam, ut lhon pro loon uel lôn. Quędã ſunt breues, quę correpte proferuntur, ut bene: quędam communes, quæ uel produci uel corripi ſolent, ut fabrum.

Iam tonus eſt in ſyllabis uel acutus, uel grauis, uel inflexus. Cicero in oratore: Mira eſt quędam natura uocis. Cuius quidem è tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, graui, tanta ſit & tam ſuauis uarietas perfecta in cantibus. Eſt autem in dicẽdo etiam quidam cantus obſcurior. Et mox: Ipſa natura quaſi modularetur homi-

num

num orationem, in omni uerbo poſuit acutam uocem, nec una plus, nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam. Quo magis naturã ducem ad aurium uoluptatem ſequatur induſtria.

Porrò diligenter à grammaticis pariter & rhetoribus præcipitur, quæ ſyllaba longa ſit, aut breuis, aut communis: quod certis canonibus eſt comprehenſum, ut quod uocalis ante uocalem poſita in Latinis dictionibus ſit breuis, quod omnis diphthongus ſit longa, quod uocalis ſit longa, dum conſonantes duæ aut duplex una ſequitur, ut ſtans. Similiter de accentibus, quę ſyllaba ſit acute proferenda, quæ graui uoce aut circunflexa. Quæ obſeruatio pertinet ad omnes linguas. Etenim proſodia ſępe diſtinguit ſignificationem. Eſtq; hic ſophiſtica ſæpe impoſtura per accentum. Quemadmodum etiam interpuncta interualla & diſtinctiones, ut commatis, coli, periodi, diaſtoles, hypodiaſtes, obſeruare cõuenit. De quibus Diomedes & Eraſmus in libro de pronũciatione Græci & Latini ſermonis ſcribũt, in primis Quintilianus in 1. lib. inſtit. & Cicero ſparſim in oratorijs præceptis. Neq; aſpernanda Iſidorus etiam ſcribit lib. 1. etymolog. Atq; hæc quæ proſodiam ſpectant, ut tonus & tempora ſyllabarum metricæ iam rationis ſunt, & muſicæ artis non ſecus atq; pedum & metrorum obſeruatio. Quod Ariſtot. & Cicero confitentur. Et Auguſtinus hæc in libris de muſica proſecutus eſt diligentiſſime.

De orthoepeia.

QVam partem grammatices multi proſodiam uocant, rectius appellauerimus ὀρθοέπειαν. Nam ut recte ſcribendi regula uocatur ὀρθογραφία, ita recte pronunciandi & modulandi ſermonem ratio ὀρθοέπεια: Quę definitur, ut ante dictum eſt, emendata cum ſuauitate uocum explanatio. Ea præſtat, ut literæ ſingulæ proprio ſono accurate proferantur, ut uoces acutę, graues, inflexæ recte exprimantur, ut ſpatia & moræ tum ſyllabarum, tum diſtinctionũ rite ſeruentur, & uitia pronũciationis uitentur, quantum fieri poteſt.

Vitia oris & linguæ, & uocis.

BOnitas uocis optãda eſt, non eſt enim in nobis, ſed tractatio atq; uſus in nobis, inquit Cicero. Qualis autem uocis moderatio in dicendo conueniat, quantumq; in ea poſitum ſit, præci

 piunt rhetores. Quę tamen inſtitutio rectiſſime inchoabitur in tenera ætate. Sunt enim quædam uitia, quæ ſi occupent ætatem teneram, proſequuntur etiam ſenem. Itaq; utiliſſime præcipitur à Fabio & alijs pleriſq;, ut actio & uox diligentiſſime curētur à primis annis. Habet autem actio non pauca nec leuia uitia in uultu, & manuum geſticulatione, & totius corporis motu, quæ animi quoq; uitia redarguunt. In uoce quædam à natura ſunt uitia, quędam ex conſuetudine, quæ fit altera natura. Quæ accidūt ex conſuetudine, tolli & ſanari poſſunt ſtudio: quæ ex natura, corrigi, & occultari, ne fœda exiſtant. Vitia illa tum alij recenſent, tum Diomedes libro ſecundo artis grammaticę, Quintil. 1. lib. inſtitut. Eraſmus Rot. libro de pronunciatione Græcæ & Latinæ linguę; Ludeuicus Viues lib. 3. de tradēdis diſciplinis. Quæ ut ante promiſi, breuiter attingam. τραυλισμὸς titubatio & hæſitantia. Cui affinis eſt battologia ſiue bataríſmus. Cognatum quoq; eſt uitium μογιλαλία. ψελλίσμος blæſitas & balbuties, tametſi ἰσχνόφωνοι & ἰσχνοβῖτου blæſi dici poſſunt. Eſt etiam ἰσχνότης uitium contrarium πλατυασμῷ. κολοβᾶτου ultimas ſyllabas deglutiunt. Eſt κοιλοστομία, & gargariſmus, ut Ebr. & Arabes è gutture torquēt uoces aliquas: quod eſt λαρυγγίζειν. Sūt iotaciſmi, lambdaciſmi, metaciſmi, quum literæ i l m operoſius pronunciantur. Sunt hiatus, colliſiones, ſtridor, ſibilus, gemitus, ſingultus, ructus, ſcreatus, tuſſis affectata, riſus. Sonant aliqui per nares, aliqui per dentium raritatem ſpiritum recipiunt, aliqui nimia linguæ uolubilitate præcipitāt uerba. Quæ uitia omnia pugnāt cum orthoépeia, cui coniuncta eſt euépeia & ſynepeia: & ſunt nomine barbariſmi à quibuſdam notata.

Barbariſmus & metaplaſmus.

BArbariſmi nomen à Caribus male pronunciantibus ſermonem Gręcum, primam originem duxit, ut docet Strabo. Cæterum committi barbariſmū in ſtructura, & dictionibus, quidam exiſtimauerunt, ut Quintil. & Diomedes indicant. Qui magis ſolœciſmus eſt, barbariſmus autē in parte una dictionis. Eſtq; contra leges artis & linguæ proprietatem uitioſe ſcripta uel pronunciata dictio. Aliquando uicinitate quadā uirtutis defenditur, & tam in proſa, q̃ in uerſu metaplaſmus uocatur. Quatuor autem modis transformantur dictiones uel uitioſe & barbare, uel certa

ratione

ratione,ut in carmine aliquãdo neceſſitatis cauſa,ut in ſoluta oratione uenuſtatis & euphoniæ cauſa, ut in declinatione uocũ analogica,& quum uoces in aliam linguam tranſmigrant. Variãtur enim ſingulæ uoces adiectione,detractione,mutatione, tranſmutatione aut tranſpoſitione literarum & ſyllabarum, & proſodiæ. Quæ rurſum in ſpecies diſtribuuntur. Additionis nanq; ſunt formæ,protheſis,epentheſis uel parẽtheſis, paragoge uel proslepſis, diplaſiaſmus, diaſtole, diæreſis. Detractionis formę ſunt,aphæreſis,ſyncope, ecleipſis ſiue ecthlipſis,apocope,ſyſtole,ſynæreſis,ſynalœphe ſiue complexio. Tranſmutatio eſt,quum literæ uel ſyllabæ tranſponuntur in alium locum, quæ metatheſis & hypertheſis dicitur,lerigio pro religio,κραδία pro καρδία. Item quãdo trãsmouetur tonus,ut περὶ λόγων,λόγων πέρι. Mutationis formæ ſunt, quum literæ permutãtur, quæ antitheſis & parallage & enallage dicitur,ut olli pro illi,ar uenire pro aduenire. Vbi literarũ cognatio animaduerſa non parum iuuabit.

LIBRI TERTII CAPITA.

QVatuor deinceps libri tractant partẽ grãmatices, quã etymologiã uocãt,ego malo cũ Varrone ἐτυμολογικὴν appellare:quę origines uocum,& flexurã,ut Varro nominat,perpendit.Cui eſt cognata ea doctrina,quam Plato ὀνομαστικὴν, Latini rerum nomenclaturam uocant. Hic autem liber expediet originationem uocum hactenus, ut doceat, in quauis dictione ſpectandum eſſe,an prima ſit poſitio uocis, an deriuata aliunde, & qua ratione.Ita enim comparatum eſt natura, ut animus oblata uoce ignotæ ſignificationis,ante omnia reſpiciat eius originem:qua deprehenſa, iam aditus patefactus eſt ad cognoſcendã uim ſignificandi. Vt ſi coniectandum proponatur mediocriter perito ſermonis Latini,quid ſignificet naſturtium, nónne originem uocis inquirit principio,& ſi acumine ingenij deprehẽdat,factam eſſe ex naſo & torqueo,concipit ſinapium aut piper, aut herbam illam, aut ſimile quiddam quaſi naſi tortium aut tormẽtum.Cur autem in ea non pauci hallucinentur,cauſas reddam, ut res utilis & neceſſaria in cognitione linguarum ſuum locum & dignitatem retineat,neq; propter culpam aliquorũ, qui ad hunc ueluti lapidem impegerunt,minus putemus idoneam ad extructionẽ orationis.

ETymologia, quæ uerborum originem inquirit, à Cicerone dicta eſt notatio, quia nomen eius apud Ariſtotelem inuenitur ſymbolū, quod eſt nota. Nam uerbum ex uerbo ductum, id eſt, ueriloquium ipſe Cicero, qui finxit, reformidat. Sunt qui uim potius intuiti originationem uocent. Hęc habet aliquando uſum neceſſarium, quoties interpretatione res, de qua quæritur, eget. Vt cum M. Cælius ſe eſſe hominem frugi uult probare, non quia ſit abſtinens, nam id ne mentiri quidem poterat, ſed quia utilis multis, id eſt fructuoſus, unde ſit dicta frugalitas. Ideoq; in definitionibus aſſignatur etymologiæ locus. Nonnunquam etiam barbara ab emēdatis conatur diſcernere. Vt cum triquetrā dici Siciliam, an triquedram, meridiem an medidiem dici oporteat, quæritur, aliaq; quæ conſuetudini ſeruiunt. Continet autem in ſe multam eruditionē, ſiue illá ex Græcis orta tractemus, quæ ſunt plurima, præcipueq; Aeolica ratione, cui eſt ſermo noſter ſimilimus, declinata: ſiue ex hiſtoriarum ueterum notitia nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus: unde Bruti, Publicolæ, Pithici: cur Latium, Italia, Beneuētum. Quæ capitolium, & collem Quirinalem & Argiletum appellandi ratio? Hæc Quintilianus. Et pauló poſt: Quidam non dubitauerunt etymologiæ ſubijcere omnem nominis cauſam, ut ex habitu Longos & Ruffos: ex ſono ſtrepere, murmurare. Etiam deriuata, ut à uelocitate uelox dicitur. Et compoſita pleraq; his ſimilia. Quę ſine dubio aliunde originem ducunt. Sed arte non egent, cuius in hóc opere non eſt uſus, niſi in dubijs.

Auguſtinus, qui non multum tribuit etymologijs, quod antea indicaui, potiſſimū propter homines ineptientes in etymologijs, ut equidem ſentio, tamen explorandam eſſe docet. Nam in principijs dialecticis ita ſcribit: Omne uerbum propter id quod ſonat, quatuor quædā neceſſaria uocat in quæſtionem. Originē ſuam, uim, declinationem, ordinationem. De origine quæritur uerbi, quum quęritur unde ita dicatur. Enumerat autem ea, quibus ſtoici putant perueniri poſſe ad illa uerborum cunabula, uel ad ſtirpem potius atq; adeo ſementum, ultra quod originem quæri uetant, nec ſi quis uelit, poſſit quicquam inuenire. Sunt autem hæc fermè: Similitudo ſonorum & rerum, ut crux, mel, uepres, lana: ubi ſenſus rerum cum ſenſu ſonorum concordat. Similitudo, ut

crura,

crura, quod inter membra longitudine & duritia ſimiliora ſint ligno crucis: piſcina, in qua homines piſcibus natãdo ſimiles fiunt. Vicinitas, ut minutum pro paruo: quo magis ponendam eſſe piſcinam Auguſtinus cenſet, quàm ad ſimilitudinem. Contrarium, ut lucus, bellum. Efficientia & effectus, ut fœdus à fœditate porci per quem fœdus efficitur, puteus quod eius effectus ſit potatio. Continens & contentum, ut urbs ab orbe, horreum ab hordeo. Abuſio, ut horreum ubi non tantũ hordeum, ſed etiam triticum conditur. Pars & totũ, ut mucro, capillus. Repudiat rurſus Auguſtinus idem, etymologiam ex quatuor cauſis, quod res non neceſſaria ſit & nimis curioſa: quod eam proſequi ſit infinitũ: quod ut ſomniorum interpretatio, ita uerborum origo pro cuiuſq; ingenio prædicatur, ut uerbum quod aurem uerberet, aut aërem uerberet, aut uerum, aut uerum boans, dicatur: quod innumerabilia ſunt uerba, quorum ratio reddi non poſſit, aut quia latet, ut ſtoici putant, aut quia non eſt, ut autumat Auguſtinus.

Rationes quidẽ & authores antea indicaui, quibus adductus ſentio etymologiã eſſe in omnibus dictionibus, & eam cognitionem utilem, ſæpe neceſſariam etiam. Huius generis eſt onomatopœia, catachreſis, paronymia in ratione diſſerendi latiſſime patens, & deductio nouarum dictionum, quam paragogen etiam quidam uocant, & facta ex primigenijs paragoga. In qua poſitæ ſunt ingentes opes omnium linguarum. Eſtq; paſſim à grammaticis tradita illa uocum differentia, ut alia ſint primitiua, alia ſint deriuatiua. Quã alibi formam, alibi ſpeciem, alibi qualitatem dicũt. Quod autem uſq; adeo nonnulli uanas etymologias proferunt, ut etiam inepti & ridiculi prorſus appareant, id ipſum eſt imputandum non rei, ſed hominibus. Itaq; præcipuas cauſas reddam, ob quas etymologiæ falſæ adferuntur. M. Varro enumerat libro 4. de lingua Latina iſtas cauſas, propter quas analogia & etymologia ſunt obſcuriores: quod neq; omnis impoſitio uerborum extat: nec quæ extat, ſine mendo omnis impoſita eſt: nec quæ recte eſt impoſita, cuncta manet: nec omnis origo eſt noſtræ linguæ è uernaculis uerbis: & multa uerba nũc aliud oſtendũt, aliud ante ſignificabant. Ea 5. demonſtrare exẽplis, nõ fuerit ſuperuacaneũ. Camurũ antiqui dixerunt in ſe recuruũ, hinc dicta eſt camera, & cõcameratum ædificium. Brumalis à bruma deſcẽdit. Si bruma dicta eſt à breuitate dierum, quaſi βραχὺ ἦμαρ, ut Pompeius dicit,

non ſatis apta impoſitio uideri poteſt. De hoc Varro lib. 5. Homines imperiti & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocunq; eos libido inuitauit. Natura incorrupta eſt plerūq; ſuapte ſponte, niſi qui eam uſu inſcio deprauabit. Tertio loco ponere licet, ꝗ potis pote, à poſſum recte dicitur recteq; impoſitum eſt. At pos non eſt integrum. Vnde obſcurior etiam eſt origo nominum compos & impos, & nepos: quod poſtremum dici uidetur, ut nequam. Linguæ autem ignorantia, unde mutuo acceptæ ſunt uoces ineptiſſimas peperit etymologias, ut accidit illis qui antiqua Græca ad Latinam originem uiolenter pertraxerunt. Et in theologicis ſermonibus, dum Ebræa & Græca trahūt ad Latinas etymologias. Linguarum cognitio maximam lucem adferet cognoſcendis primordijs uocum. Quinti generis eſt hoſtis, qui ueteribus hoſpitem ſignificauit, non eum, qui perduellis dicebatur. Sexta cauſa falſæ originis uerſatur in hominum uoluntate. Quemadmodū Fabius dicit quoſdam prauis ingenijs ad fœdiſſima uſq; ludibria delabi. Cuius generis eſt, quod de induſtria falſa nominis interpretatio apponitur utilitatis cauſa, uel delectationis gratia. Eſtq; frequentiſſimum apud oratores iocandi materiam petere ab etymologia uel uera uel ficta. Vt iſtum non iniuria dici Lentulum, qui ſit in rebus agendis lentiſſimus. Et male dici Vigilantium, qui rectius appellaretur Dormitantius. Proinde ſtrictim percurram capita ſpectantia ad originationem.

Quomodo uoces migrent in aliam linguam.

NOmina propria & appellatiua, cæteraq; partes orationis ita migrant in aliam linguam, quod quædam tota mutanť, ut ψύλλιον pulicarē herbam aut pulicariam Latini ſunt interpretati, quū apud Græcos à pulicibus quoq; denomineť. Quomodo pro grāmatica dialectica rhetorica dicimus literatoriā, diſputatoriam, oratoriā. Et propria nomina, ut Solomo, Irenæus, Pacatus, Friderich. Carchedon, Neapolis, nouū oppidum Nüwſtatt/Nowogard. Quædam integra manent, ut μῦς mus muß, ἀὴρ aër, πατὴρ pater. Et propria nomina, ut Adā, Seth, Hector, Hermon. Quædam transformantur additione, detractione, tranſpoſitione, permutatione literarum & ſyllabarum: ut in tractatione barbariſmi & metaplaſmi dictum eſt. Additione, ut ὄϊς ouis, ὠῶν ouum, man manna, delphin delphinus, Rhyn uel Rheyn Rhenus. Detra

ctione, ut uallū wal, ſtolidus ſtolds uel ſtoltz, naſus naß. Trans-poſitione, ut ἕρπω repo, born bron, morphe forma. Mutatione, ut μὴν men mō, nux nuß. ἑσπέρα ueſpera, non nein, μητὴρ meter mater mûter. Quædam non uno modo uariantur, ueluti additione aut detractione, aut trāſpoſitione, & mutatione ſimul, ut ἥλιος helios ſol ſoñ. σελήνη ſelene luna. שור ſchor Ebr. thor Chald. thaur Arab. ταῦρος Græcum, taurus Latin. ſtier Germanicū eſt. Quædam longius diſcedunt à primitiui literatura, ut יין iain wein, οἶνος, uinum, לפיד lapid Ebr. lampas Græcum & Lat. ampel Germ. lupa wülp, lupus wolff λύκος. Vacillo wacken, ὑπὲρ ſup, über, odus, dens dſan uel zan, thygater dochter. Spectatur etiam originatio in ſingulis partibus orationis.

Originatio pronominis.

ARticulos originem ducere à fonte ſancto Ebraicæ linguæ, fatebitur linguarum peritus & non pertinax, hu ὁ is er. Et fœm. hi ἡ he, ea, ſy. Neutrū genus uel medium Ebræi non habēt. Sed flectēdo in alijs linguis origo longius producitur, ut τὸ, id es. Pronomina quoq; primitiua ut dicuntur, Ebraicam originem reſipiūt, atha uel ath Ebraice, anth Chald. τὺ Græce, tu Latine, du Germ. Anochi ἐγὼ, ego, ich. Tertiæ perſonæ ex articulo fluxerunt οὗ, οἷ, ἕ. Latini aſpirationem in ſ uerterunt, pro more, ſui ſibi ſe. Germ. er ſin, jm ſich. Ex his deriuātur alia pronomina, meus noſter. Et nomina, ut quibuſdam iudicantur, noſtras, ueſtras. Et aduerbia meatim, tuâtim. Et uerba in quibuſdā linguis, ut minſen, ut meum arrogare, jrtzen/ dutzen & verdutzen, quod inepte quidam dicunt uobiſare & tibiſare.

Atq; ad hunc modum habet etymologia per alias partes orationis. Quæ ſuis capitibus diſtinguentur, de originatione nominis, uerbi, participij, præpoſitionis, aduerbij, interiectionis, coniunctionis. Varro deriuationem dictionū ad inflexionem adiunxit. Verum ipſa res clamat ſeparatim explicandam fuiſſe.

LIBRI QVARTI CAPITA.

REm maximopere dignā cognitione liber quartus expediet, uim & ſignificationem uerborum, idq; generatim. Nam ſingularum uocum interpretatio alibi expedietur, Cuius capita per

 ſtringã duntaxat, quia diligenter in ea parte uerſati ſunt tam dialectici, quàm grammatici. Erunt igitur hæc libri huius capita. De ui uerborum. Vt res animo cõprehenſæ uerbis informentur. Quaſdam res non habere ſuum ſymbolũ & notam, rurſum quaſdam uoces plura ſignificare, quę πολύσημοι dicuntur, à quibuſdã etiam ſynonyma. De ſignificantibus & conſignificantibus uocibus, & quid categoria. Voces ſigna ſignorum, & ſigna rerum: quæ dicuntur primæ intentionis aut ſecundæ intentionis, uel primæ poſitionis & poſterioris. Quæ homonyma, ſynonyma, heteronyma, paronyma. De proprijs dictionibus & improprijs, de certis & ambiguis uerbis. De translatis & tropo, quotq; ſint, & quæ genera tropi. Iam per ſingulas partes orationis eundum eſt.

Quid pronomen aut definitiua dictio. Significata pronominũ, ſinita, infinita: quæſitiua, relatiua, demõſtratiua, poſſeſſiua, reciproca.

Quid nomen. Significationes uel qualitates nominis, propria, prænomen, cognomen, agnomen. Appellatiua. Subſtantiua & adiectiua. Numeralia, cardinalia, ordinis, diſtributiua, partitiua, quæſitiua nomina. Relatiua, quaſi ad aliquid. Gentilia, patronymica, poſſeſſiua, collectiua, comprehenſiua, & reliquæ ſignificationes, quæ à Priſciano, & Linacro, & alijs multis explicantur.

Ita uerbum habet ſuas ſignificationes, quum ſint actiua, paſſiua, neutra, communia, deponentia. Ad hæc perfectæ ſignificationis, inchoatiua, meditatiua, frequentatiua, imitatiua, diminutiua, & cætera.

Participium habet ſignificationes diſtinctas non ſecus atque uerbum.

Præpoſitiones quoq; non ſatis eſt diſtinguere in accuſatiuas & ablatiuas, uel quæ ſeruiant accuſatiuo, aut ablatiuo, aut utriq; caſui. Nam poteſtas & ſignificatio in præpoſitione perpendenda eſt, ut in aduerbio, interiectione, & coniunctione. Sunt enim prępoſitiones coniunctiuæ, ut res tibi eſt cum aſtuto homine: & diſiunctiuæ, ut abſq; pecunijs nihil efficies, ſine operibus legis, fide iuſtificantur homines: & poſitionis, ut ſupra domum, & aliæ. Iam uoces ſunt uel in capite dictionum appenſiles uel in calce, quæ uim præpoſitionum planè poſſident, ut an, con, ne, ue, bu, & alię, idq; in omnibus linguis.

De aduerbijs & interiectionibus & coniunctionibus nihil attinet dicere, quãdo pręcipue ſpectatur in eis poteſtas aut ſignificatio.

LIBRI

HVius etiam libri capita perſtringam duntaxat, niſi ubi exiſtimo aliquid innouandũ eſſe in recepta methodo & uulgari.

Quid inflexio ſiue declinatio. Quæ dictiones flectantur. Schematiſmos fieri per additionem, detractionem, mutationem, trãſpoſitionem literarum & ſyllabarum. Eſſe in omni lingua literas & ſyllabas formatiuas & characteriſticas, quas ordine diſponere, ut fit in Ebraicis grammaticis, multum conducet ad penitiorem cognitionem linguarum. Quæ ſint accidẽtia uocum, & quare ita dicantur, in pronomine, nomine, & participio, genus, numerus, caſus. Genus diſcitur ex rerũ natura, authoritate, analogia. Quot ſint genera, numeri, caſus, ſiquidem in ea re uariant linguæ. Ebraica gens habet maſculinum & fœm. & dubium. Veteres Græci, ut Ariſtoteles, tria ponũt, maſculinum, fœmininum, medium ſiue organum. Arabes habent dualem numerum in uerbis & nominibus, & participijs, ut Græci. Sex caſus habent Latini, Poloni etiam ſeptimum caſum uoce diſtincta efferunt. Græci tantum quinq; habent.

Verba inflectũtur uarianturq; per ſignificationem actiuam, paſſiuam, & reliquas, per modos, numeros, perſonas. Quæ ſingulis capitibus erunt ediſſerenda. Porrò ſunt imperſonalia, defectiua nomina, uerba, pnomina, itemq; anomala & heteroclita. Sũt etiam priſcæ & peregrinæ inflexiones indicandæ.

Tum eundum erit per ſingulas partes, facto initio ab articulo hic uel is. Vtq; conſpicua ſit uariatio generis, numeri, caſus, puto formulas inclinationum hoc pacto eſſe diſponendas.

Formula declinandi pronomen.

Singularis numerus.

	Nominatiuus. Vocatiuus.	Genitiuus.	Datiuus.	Ablat.	Accuſat.
Maſc.	hic			hoc	hunc
Fœm.	hæc	huius	huic	ab hac	hanc
Neutr.	hoc			hoc	hoc

Pluralis numerus.

Maſcul.	hi	horum			hos
Fœm.	hæ	harum	his	ab his	has
Neutr.	hæc	horum			hæc

 In articulis & pronominibus ſpecimen eſt declinationis etiam nominum & participiorum in omnibus linguis, quantum expertus ſum hactenus. Ebraica lingua uariat quidem pronomina hu hic, hem hi. Non autem commode poteſt fieri ex hi hęc, hoth hæ, ideoq; hen profertur. Nec eſt alia declinatio nominum & participiorum, quàm quòd maſculinum mutata terminatione transmouetur in fœmininum, & ſingulare in plurale. Caſuum autem diſtinctio non eſt. Ita quidem qui percepit declinationem articulorum in Græca lingua, & Latina, & Germanica, Sclauonica, quæq; aliæ cum Latina & Græca lingua propiorem habent cognationem, ad omnium pronominum, nominum & participiorum declinationẽ inſtructus eſt. Formulæ pronominũ tres ſunt: & ſi noſtras, ueſtras, cuias in numero definitionum ſiue pronominum collocẽtur, ut ego faciendum eſſe cenſeo, quatuor inclinandi formulæ inuenientur in Latinis pronominibus. Datiuus & ablatiuus pluralis numeri ſemper habent unã enunciationem. Nominatiuus & uocatiuus utriuſq; numeri ſimiliter. Ideo coniunxi eos caſus. Neutra nominatiuum, uocatiuum & accuſatiuum in utroq; numero ſimiliter efferũt, & in plurali quidem numero terminatione a.

Declinationes nominis.

GEnus maſculinum, fœmininum, neutrum, epicœnum, dubium, commune, omne dignoſcitur natura rerum & ſignificatione, authoritate, analogia per literas finales. Quã rationem quum Ariſtoteles etiam attingat in libro de poëtica, mirum eſt, grammaticos Gręcos eam rem neglexiſſe in præcipiendo. Numeri Latinis duo ſunt. Caſus ſex. Verũ rariſſimũ eſt nomen, quod in ſingulari numero ſeparatas habeat terminationes per omnes caſus. Formulæ autem inclinandi ſunt quinq;. Et tertia quidem mire uaria oſtendit analogiæ Latinæ hac quidem in parte incertitudinem. Cæterum eadem opera grammaticus declinationem & genus per terminationes indicabit, uelut duo duntaxat eſſe Latina nomina terminata in e, quæ ueteres litera e terminabant, ut lacte halece: quæ neutri ſunt generis, & declinantur formula tertia, e mutato in is in genitiuo ſingulari, lactis, halecis. Proponam formulas typo uno, quo euidentius appareat, quæ propius coniunctæ ſint. Tertia declinatio, quũ plures habeat terminationes,

puta

puta 78. uel paulò plus, duntaxat ad locum nominatiui ſtatuam ſeptem literas terminales. Nam in i uel extera deſinunt, ut gumi, uel non declinata, ut frugi, a ut poëma Græcorum eſt terminatio. Quæ terminantur litera m, ut totidem, non uariantur. Duo ſunt tantum nomina in c, unum in t, quæ ueteres litera e terminauerunt, ut lacte, halece, capite. Ita in eus Græca deſinunt, in ir & ur ſecundæ formulæ ſingula tantum uir & ſatur.

Formulæ declinationis nominum.

Singularis numerus.

	Nominatiuus.	Vocatiu.	Genitiu.	Datiuus.	Ablatiu.	Accuſatiu.
1	a	ſimilis no	æ	æ	a	am
5	es	minatiuo.	ei	ei	e	em
2	er um us	e i	i	o	o	um
4	us u		us	ui	u	um
3	e o l n		is	i	e i	em im.
	r s x					

Pluralis numerus.

1	æ		arum	is		as
5	es		erum	ebus		es
2	i a		orum	is		os a
4	us a		uum	ibus		us a
3	es a		um ium	ibus		es a

In prima formula, & ſecunda & tertia eſt aliquid Græcanicũ, ut rhetorice, rhetorices, rhetoricen. Orpheus, orphei, orpheu, orphea. Dido didûs. Amphiona. Et omnibus aliquid priſcũ: dies, diei uel die: fructus uel fructuis, &c. Sunt defectiua & heteroclita quædam.

Declinatio participiorum.

DVæ ſunt formæ inclinandi participia, ut tres flectendi pronomina. Quæ enim in ns deſinunt, una terminatione per omnes caſus flectuntur, ut pronomina primitiua, ego tu, nempe ut prudens prudentis prudenti, & ſimilia nomina. Quæ in us, flectuntur ut meus mea meum.

Declinatio ſiue coniugatio uerborum.

IN omnibus linguis operæpretiũ eſt auſpicari coniugationem à uerbo ſubſtantiuo. Nam plurima efferuntur circuitu uerbo-

Digitized by Google

 rum facto ex participio & uerbo ſubſtantiuo. Vt Ebræi præteritum imperfectum efferunt, fuit faciens, hoc eſt faciebat. Græci paſſiuorum uerborũ præterita tempora coniunctiui, ſi percuſſus ero, & alia multa. Latini quoq; præterita circumloquũtur per uerbum ſubſtantiuum, aut habeo uerbum, & participium, **ich hab gredt/ich bin gloſſen.** Et totam coniugationem uerbi paſſiui exprimunt per uerbum ſubſtãtiuum & participium paſſiuũ. Idem faciunt linguæ ex Latina & Germanica mixtæ, ut Italica, Gallica, Hiſpanica. Ita obſeruatum eſt in Anglica lingua, & Sclauenica. Proponam formulam uerbi ſubſtãtiui, ut non celem hac quoque in parte, quid mihi uideor obſeruaſſe idoneum ad faciliorem & planiorem cognitionem idiomatum.

Formula declinandi uerbum ſubſtantiuum ſum uel eſum, ut antiqui dicebant.

Tēpora			Indicatiuus modus.			
Prȩſens	Sum	es	eſt. Plural.	ſumus	eſtis	ſunt.
	ich bin	**du biſt**	**der iſt**	**wir ſind**	**jr ſind**	**die ſind**
Imperf.	eram	eras	erat	eramus	eratis	erant
	was ul' war	**wårt**	**was**			**warend**
Perfect.	fui	fuiſti	fuit	fuimus	fuiſtis	fuerũt fuere
	ich bin gſin uel **gweſen**			**wir ſind gſin**		
Plusq̃	fueram	fueras	fuerat	fueramus	fueratis	fuerant
perfect.	**ich was gſin/du wårt/**&c.					
Futurũ	ero	eris	erit	erimus	eritis	erunt
	ich wird ſin	**wirdſt**	**wirdt**	**werdend ſin.**		

Coniunctiuus modus, in quo ſunt omnes enunciationes optatiui etiam.

Prȩſens	cum ſim	ſis	ſit Plural.	ſimus	ſitis	ſint
	ſo ich bin/& cæt. ut indicatiuo.					
Imperf.	eſſem	eſſes	eſſet	eſſemus	eſſetis	eſſent
	wår ich	**wåriſt**	**wåri**	**wårind**		
Perfect.	fuerim	fueris	fuerit	fuerimus	fueritis	fuerint
	ſo ich bin gſin/& cætera. uel **wår ich gſin.**					
Plusq̃	fuiſſem	fuiſſes	fuiſſet	fuiſſemus	fuiſſetis	fuiſſent
perfect.	**ſo ich was gſin** uel **gweſen.**					
Futur.	fuero	fueris	fuerit	fuerimus	fueritis	fuerint
	wurd ich	**wurdiſt**	**wurdi**	**wurdind.**		

es uel ſis		eſte	
biß		ſind	
eſto tu	eſto ille	eſtote	ſunto
			ſuntote.

Reliqua mutuo ſumuntur à coniunctiuo.

Infinitiuus mouds.

Præſentis	eſſe.	Præter. fuiſſe.	Futu. caret, uel fore, futurũ eſſe
temporis.	ſin uel weſen	ſin gſin	ſin werden
Supina	caret.	Gerundia	eſſendi eſſendo eſſendum
	gſin zeſin		weſendt uel weſend, ut

Participia. ſtánt ſtãnde.

Temporis præſentis	ens	Præteriti	Futuri futurus
	weſend	gſin	wártig, ut
			künfftig à kom̃.

Ad hunc modum cenſuerim ordinandas formulas coniugandi uerba omnia, quæ in Latina lingua ſunt quatuor. Maximaq́ difficultas eſt Latinis in præteriti & ſupini formatione: quæ res regulis comprehenſa eſt. Germanis præcipua obſeruatio eſt in uocali & diphthongo uarianda, quæ eſt nota flexionis, ut mach/ heb/ byß/ hol/ lupff. Itemq́ in diphthongis, ut äff/ ſchieß/ hőr/ güß. Variantur enim in præterito imperfecto, rurſumq́ imperfectum uariatur in coniunctiui imperfecto, præterito perfecto, & futuro. Sunt imperſonalia uel potius defectiua, quum tertiæ perſonæ ſingularis terminatio explet omnes perſonas utriuſq́ numeri. Quod cõmune eſt omnibus linguis, me, te, illum, nos, uos, illos decet, es zimpt mir/ dir/ jm/ vns/ üch/ jnen: ſtatur man ſtadt. Sunt alia etiam defectiua & anomala, ut iuraui, & iuratus ſum. Ferio percuſſi.

LIBRI VI. CAPITA.

DE compoſitione dictionũ, & formulis dicendi peculiaribus linguæ cuiuis, & de ſolœciſmo atq́ allœoſi aget hic liber. Cuius capita percurram, ſiquidem res illæ diligenter ſunt pertractatæ à grammaticis & rhetoribus. Sunt autem hæc libri capita. Quid compoſitio & figura. Ex quot dictionibus conflentur uerba, ex duabus nimirum, & tribus, & quatuor etiam interdũ. Mo

 di cōpoſitionis quatuor, ex integris uocibus, ex corruptis, ex integris & corruptis, è diuerſarū idiomatū uocibus. Cōpoſitio prępoſitionū, cōpoſitio pronominū, compoſitio nominū, cōpoſitio uerborum, compoſitio participiorū, compoſitio aduerbiorū, compoſitio interiectionū, compoſitio coniunctionū. De ſolœciſmo & allœoſi uel heteroſi uel anallage. Nam iſtis omnibus nominibus appellatur. Quum permutantur dictiones certa ratione, heteroſis dicitur. Sine ratione uitioſum eſt, & uocat̃ ſolœciſmus & ſtribiligo. Fit autem utrunq; ſicut barbariſmus & metaplaſmus, quatuor modis, additione, detractione, tranſpoſitione, mutatione. Additione fit pleonaſmus, ut ſic ore locuta eſt, ad urbem uſque, zur ſtatt zůhin. Detractione, ut cœlo deſcendit, ꝓ è cœlo. Quod creberrime fit, ut præpoſitiones prætermiſſæ intelligantur extrinſecus. Trāſpoſitione, qualis eſt anaſtrophe, qua de re, pro de qua re. Et in compoſitione, mecum, nobiſcum, pro cum me, cum nobis. Dicitur tamen cum nobis omnibus. Ita Græci dicunt ἀνδρόγυνος & γύνανδρος. Germanis hoc perfrequens eſt, dum uoces compoſitæ reſoluuntur, ut Gottshuß/huß Gottes/fridſtatt/ſtatt des friden. Mutatio plurimas habet formas. Ponitur enim diuerſa dictio in locum alterius, ut duarū rerum optio tibi datur, unde alteram eligas: pro, ex quibus, uel quarum alteram eligas. Partes orationis inter ſe permutātur nomina cum uerbis, itemq; reliquæ. De quibus ſingulatim dicere, & exemplis præcepta illuſtrare, multum claritatis afferet. Itemq; in ſingulis partibus conueniet oſtēdere, ut ſignificationes uarientur, quum adiectiua ponuntur loco ſubſtantiuorum, genus pro genere, caſus pro caſu: actiua uerba loco paſſiuorū, modus pro modo, tempus pro tempore, numerus pro numero, perſona pro perſona. Quæ uerbo indicaſſe hoc loco, ſatis fuerit, ut commentarij breuitatem, quantum fieri poteſt, conſectemur. Et manifeſtum eſt, quam doctrinæ methodum hic adhiberi conueniat. Quod formulas adtinet loquendi ortas ex complexione duarum aut plurium uocum, quędam ſunt generales, ut geminatio dictionum, ut enunciatio propoſitionis generalis, & alia id genus: quædam ſpeciales in ſingulis uerbis, ut agere animā, agere fabulam, agere morionem. Prius genus ad ſtructuram orationis pertinet. Poſterius ad uerborū explicationem, de qua iam dicere poſtulat inſtitutus ordo methodi. Nam ſex libris abſoluetur uniuerſa doctrina ſpectans ſingulas

uoces,

Secunda pars.

Comprehendet origines uocum uniuerſarum, cum ſuis deriuatiuis, compoſitis, & locutionum peculiarium formulis. Qua parte uideo multum intereſſe inter eam formam explicandi uoces quaſuis, quam inſtituo proponere, & inter lexica & dictionarios, & commentarios Græcæ & Latinæ linguæ hactenus mihi cognitos. Sunt enim qui literis alphabeti uoces compoſitas & deriuatas perinde atq; dictiones ſimplices digerũt. Quemadmodum fecit Heſychius, Fauorinus, Ambroſius Calepinus, & multi alij. Quidam ordinem rerum ſecuti ſunt, ut Iulius Pollux, ut Varro, & Nonius Marcellus in quibuſdam partibus, ueluti cum loca, tempora, uaſa, ueſtimẽta ordine exponuntur. Quidam ad authoris alicuius explanationẽ eam diligentiam adhibuerunt, ut linguæ cognoſcendę opem adferrent. Id quod fecit Euſtathius interpres Homeri, Nicolaus Perottus commentator Martialis, & alij quidã. Alios magis delectauit arbitrarius ordo, ut res utcunque inter ſe cohærentes copularint. Quomodo Guiliel. Budæus linguæ Græcæ commentarios ſcripſit, & Stephanus Doletus Latinæ linguæ. In quibus utiq; ordo eſt aliquis & talis, qui arguat ingenium magnũ in iſtis uiris. Methodi tamen ordo non eſt. Quorum ſanè uirorum ut diligentiam, & ingenium & doctrinam ſuſpicio, & eorũ laboribus fruor non ſine animo gratiſſimo in eos, per quos quotidie proficio: ita meipſum non conſtituo iudicem, ut uelut Ariſtarchus nouus pronunciem, quid in his maxime ſequendum ſit. Hoc tamen nemo mihi uitio uertet, ſi ordinem indicauero aptiſſimum linguis omnibus cognoſcendis, & illum quidem non à me excogitatũ, ſed ab alijs monſtratum. Cenſeo enim ordinem ſeruatum hactenus in Ebraicæ linguæ explanatione, ut origines literarum ordine digerãtur, & cuilibet origini ſubijciantur ab eo deriuata & compoſita, & copulata, ceu propagines ſtirpi ſuæ; aptum eſſe omnibus linguis cognoſcendis, idq; non ob unam cauſam. Itaq; libros huius partis ſecundæ, & librorum capita indicabo: deinde rationes reddam, ob quas ea methodus probetur.

LIBRI VII. CAPITA.

QVid poſitio, thema, origo aut radix uerborũ: an uerbum an potius nomen ſit prima poſitio. Quæ mihi quæſtio lon

 ge dignior explicatu uidetur, ꝗ utrum ouum prius ſit gallina, an gallina prior ſit ouo. Deinde ordine literæ & ſyllabæ formatiuæ per ſingula capita explicabuntur, obiter indicata ratione deriuatiuorum, ut uerbi gratia, qualis ſit forma & ſignificatio nominum in arius, arium, bundus, men, go, do, io, ax, tas, & reliquorũ. Tum inueſtigatio poſitionis monſtrabitur per reſolutionẽ uerborum, uelut in hoc uulgatiſſimo uerbo, Gaudet honorificabilitudinitatibus Hermon, aut etiam præpoſita uocula in, ut ſit inhonorificabilitudinitatibus, omnibus ſyllabis formatiuis reſectis, colligentur uoces tres, in, honor, facio, ex quibus uerbum eſt cõflatum, inter quæ primatum obtinet facio. Vbi expendere conuenit, in quas literas deſinant primitiuæ uoces Latinæ linguæ, aut alterius cuiuſpiam, præſertim nomina & uerba. Id quod Ariſtotelẽ non piguit inquirere. Poſtremo uoces quæ ſunt obſcuræ aut cõtrouerſæ originis & compoſitionis, uno in loco digeſtæ ordine literarum proponentur, cum indicatura, cui origini adiunctæ ſint, ut maximæ conuenientes. Velut quinquertio indicabitur collocari ſub origine ars. Et hæc quidem generalia ſunt. Ad hunc etiam locum pertinet uerborum delectus, quatenus ſit utendum nouis, nouatis, priſcis, ſordidis uocibus. Nam in obſeruatione iſta & delectu uerborum nonnulli putauerunt poſitum eſſe fundamentum eloquentiæ.

LIBRI VIII. CAPITA.

ORigines autem uerborũ diſtribui placet non ordine alphabetario, ſed ut uno in libro coniungantur, quæ primas literas habent cognatas. Itaq; uno in libro & quidẽ octauo iungentur origines, quarum prima litera eſt uocalis, diphthongus aut aſpiratio. a æ au, e eu, i o œ u, ha hæ, hau, he hi ho hu: & reliquæ ſimiliter.

LIBRI IX. CAPITA.

Origines, quarum prima litera eſt ſemiuocalis & liquida, l m n r s.

LIBRI X. CAPITA.

Origines, quarum prima litera eſt b f p ph pſ.

LIBRI XI. CAPITA.

Origines, quarum prima litera eſt g c ch k q x.

ORigines quarum prima litera eſt d t z. Si quis putat ordinem alphabetarium ſequendum eſſe, cum eo non pugnabo. Mihi quidem hic ordo ad collationem linguarum commodior uidetur, in quibus non eſt idem ordo literarum, elementorum autem poteſtas eadem eſt ex naturæ inſtituto. Ad orthographiam quoq; ſeruandam & cognoſcēdam hic ordo apparet maxime idoneus.

Iam in ordinandis uocum originibus ea uia mihi non improbatur, ut thema in medio folio, aut ſemifolio collocet̃ maiuſculis literis, adiuncta etiam extera & peregrina uoce, ex qua linguę explicandæ origo uidetur ſumpta. Eiq; ordine ſubijciantur nomina cæteraq; deriuatiua, mox compoſita. Rurſumq; themati & deriuatiuis, & compoſitis adiungentur ordine, quæ locutionem & dicendi modũ peculiarem efficiunt, ſiue propria ſiue translata ſint. Singulæ partes breuicula interpretatione illuſtrabũtur, & gloſſula, ſimul indicatis authoribus idoneis, qui rem plenius pertractēt. Id compendium plus meo quidem iudicio conducet, q̃ prolixi commentarij, qui uerboſe authorum ſententias exponunt. Alicubi notæ apponētur non male, ſi quod uerbum obſoletum, nimis priſcum, nimis poëticum & inſolens eſt. Si quis numerorũ notas apponat, ad quem rerum ordinem unumquodq; pertineat, notato loco uelut parte orationis, aut prædicamento, uel pagina & columna, res erit illa quoq; magnæ utilitatis. Index enim ille ad genus & ſpecies cognatas & differentias cognoſcendas diriget. Sit igitur in libro octauo ad literam h thema haurio.

HAVRIO ἀρύω.

exhaurire uel implere.	Lucret. lib. 4. Lucil. lib. 30.
auare ſumere	Cic. Tuſc. 4.
defatigare	Virg. georg. 3.
confodere	Virg. Aen. 10.
accipere uel audire	Virg. Aen. 12.
tenere	Virg. Aen. 4.

Hæc Nonius Marcellus, qui authorum integras ſententias ponit. Porrò deriuatiua & compoſita ſunt

Hauſto, hauſtus, hauſtrum, hauſtibulum.
Exhaurio, exhauſto, exhauſtus.
Hauſto frequentatiuum.

 Hauſtus & hauſtio, & quantum ſemel hauritur.
Hauſtrum, rotarum cadus ἄντλιον. Non. Marc.
Hauſtibulum, uas hauriendi. Apuleianum.
Exhaurio, euacuo prorſus. Siponti.
Exhauſto frequentatiuum.
Exhauſtus, finitus & terminatus, euacuatus.
Hauſtum facere antiq. Sipont.

Loquendi formulæ peculiares.

Haurire fonte	Cic. epiſt. fam. 6.
ex fonte	Cic. pro Archia.
de dolio	Cicero in Brut.
de fece	Cicero in Bruto.
à natura	Cicero de diuinat.
ex ærario	Cicero contra Rulli.
purum liquidumqꝫ	Cicero pro Cecin.
gurgites haurit Charybdis	Cice. de aruſp. reſp.
laudes ſuas	Cicero epiſt. fam. 6.
calamitatem	Cicero Tuſcul.
animum	Cicero de diuin.
uocem	Virg.

Exhaurire ærarium, bella, copias maximas,
domum, labores, poculum, ſentinam,
ſpiritum, uitam, & cæt.
Exhauſtus ſermo, fons, exhauſta aqua,
exhauſtæ ciuitates, & cætera.

Notatus modus, quem in uocibus ſingulis enarrandis ſeruandum puto, ſatis iam liquet. Proximum igitur eſt, ut rationes reddam, quare mihi præ alijs probetur. Primum quidem hac ratione coniunctis, quæ coniugata & caſus in topica doctrina uocantur, dubium non eſt, quin uis & uſus uerborum penitius aperiatur, ꝙ ſi unumquodqꝫ ſeparatim explicetur. Deinde cognatio rerum & ſimilitudo, quæ nomina uel propria uel translata habent ex eadẽ origine, rectius hoc pacto cernitur. Nec minus facile eſt quamlibet uocem in hoc ordine indagare, ꝙ ſi compoſitæ uoces digerantur ordine alphabetario. Quis enim exhaurio non tam facile deprehendat in litera h, ſub origine haurio, ꝙ in litera e? Quę dam habent aliquid difficultatis, ut effringo: ſed habent ſimul utilem exercitationem, ut ſtudioſus inquirat eſ præpoſitionem ex

fieri, quando ſequitur ſ. Tum nihil eſt impedimenti reliquum in-
daganti fringo, uel frango, quod & frago dicebãt ueteres factum
ex Græco ῥήγνυμι, uel potius ῥήγω rhego præpoſita litera ſ, ut alijs
etiam quibuſdam fieri obſeruatum eſt. Vnde Germani mutuati
ſunt brech. Ita ῥῖγος mutatum eſt à Latinis in frigus, Germanis in
frü̈ſen uel früren. Ad hæc ordo eiuſmodi conferet non parum
ad æſtimationem duarum linguarum mutuam. Siquidem in ori-
gine uocum præcipua pars idiomatis collocata eſt. Poſtremo ad
facilem perceptionem linguæ hoc mirifice conducet, utq; lingua
firmiter inhæreat animo, & promptius unumquodq;, dum uſus
uenit, ſeſe offerat. Id quod planius faciam authoritate M. Varro-
nis, uel potius rationibus, quas uir ille oſtendit. Sic enim ſcribit li
bro 5. de lingua Latina: Primigenia dicuntur uerba, ut lego, ſcri-
bo, ſto, ſedeo, & cætera, quæ nõ ſunt ab aliquo uerbo, ſed ſuas ha
bent radices. Contrà uerba declinata ſunt, quæ ab aliquo oriun-
tur, ut à lego, legis, legit, legam: & ſic itidẽ hinc per multa. Quare
ſi quis primogeniorum uerborum origines oſtenderit, ſi ea mille
ſunt, quingentum millium ſimplicium uerborum cauſas aperuit
unas. In nullis tamen qui ab his reliqua orta oſtenderit, ſatis dixe
rit de origine uerborum, cum inde nata ſint innumerabilia. Prin
cipio erant pauca: quæ inde nata ſunt, innumerabilia. A quibus
ijſdem principijs antepoſitis præuerbijs paucis, immanis uerbo-
rum accedit numerus, quòd præuerbijs additis atq; commutatis,
aliud atq; aliud fit. Vt enim ceſſit atq; receſſit, ſic acceſſit & abſ-
ceſſit. Item inceſſit, & exceſſit: ſic ſucceſſit & deceſſit, & conceſ-
ſit, & proceſſit. Quod ſi hæc decem ſolum præuerbia eſſent, quo-
niam ab uno uerbo declinationum quingenta diſcrimina fierent:
his decemplicatis coniuncto præuerbio ex uno quinq; millia nu
mero efficerẽtur, ex mille, quinquagies centum millia diſcrimina
fieri poſſunt. Democritus ſecutiq; item alij, qui infinita principia
dixerunt, quæ unde ſint, non dicunt, ſed cuiuſmodi ſint: faciunt
tamen magnum numerum, & ex his, quæ conſtant in mundo,
oſtendũt. Quare ſi etymologos principia uerborum poſtulet mil-
le, de quibus ratio ab ſe non poſcatur, & reliqua oſtendat, quod
non poſtulat, tamen immanem expediat numerũ. Aduertamus
obſecro animum ad Varronis ſupputationem & calculũ, & offe
ret ſe res tum utiliſſima cognitu, tum admirabilis, quę uim ſermo
nis & rationis humanæ oſtendit nõ minus propemodum, quàm

 quòd uoces uniuerſæ ad pauciſſima elemẽta literarum ſunt redactæ. Varro docet pertinere ad etymologum origines linguę tenetræ, Quæ paucæ quidem ſunt, cæterum ex illis progenies immenſa oritur. Poſtulat autem, ut mathematici & dialectici facere ſolẽt in demonſtrationibus, eſſe mille origines: & ex his fieri quinquagies centena millia dictionũ, uel ut nos ſolemus loqui, quinquies millena millia, demonſtrabitur ex ratione declinandi, nimirum ex deriuatione, inclinatione, compoſitione. Quis non deſperet cognitionem linguæ Latinæ, quum audit ſibi diſcenda eſſe quinq; millia millium uerborũ? Nam ſi concedatur uita ſexaginta annorum, & dimidiũ uitæ ſpatium linguę diſcendæ impendat, nimirũ anni triginta, à ſeptimo ætatis anno uſq; ad XXXVII. perdiſcetur lingua demũ ab eo, qui ſingulis annis centena ſexaginta ſex millia uerborum, & præterea ſexcenta ſexaginta ſex didicerit, & ſingulis quidem diebus CCCCLV. Rurſum qui audit mille duntaxat origines uerborum Latinorũ eſſe, & tam facilem rationem deriuandi, inclinandi, & componendi uoces, quis non ſperet ſe intra pauculos menſes deuoraturum eſſe totam linguam? Qui enim X. dictiunculas principales & themata ſingulis diebus diſcat, & aliquid tribuat regulis deriuandi, flectendi, & componendi, utq; ordinem & conſtructionis leges cognoſcat, centeſimo die per otium linguam perdidicit. Eſſe autem mille origines Latinæ linguæ, non petam ut Varro, ſed demonſtrabo calculo. Si quis enim ad calculum uocet origines, quarum prima eſt litera a, ut ab, adeps, ædes, & reliquas, colliget centum origines circiter. Porrò conferẽs origines literæ a cum alijs, deprehendet eſſe decimam partem, aut amplius etiam. Ita quidem ad ſummum erunt mille themata Latinæ linguę, & pleraq; originis Græcæ. Quę licet una pagina complecti, & intra pauculos dies mandare memoriæ, ac quum libet una hora uel dimidia hora memoriæ confirmandæ gratia repetere. Quarum ſoboles uniuerſa uolumen perficiet, quod etiam iuſtum onus burdonum exhibeat. Porrò ut ratio conſtat Latinæ linguæ originum, ita etiam cæterarũ linguarum conſtat ratio. Nanq; Germanicus ſermo ad mille origines habet, ex quibus octingentæ circiter uel ad Græcam, uel ad Latinam, uel ad Ebræam linguam non obſcure pertinent. Ebraicus ſermo hodieq; retinet themata reliqua bis mille & amplius. Et ſunt, q eum ut inopem & mendicum præ alijs linguis iudicent? Quapropter

cenſeo

cenſeo eam diſpoſitionẽ operis, quo eſt lingua quæpiam tota comprehendenda, in primis idoneam, ut origines ueluti capita per literas cognatas digerantur, illisq́ue ordine ſubijciantur uoces deriuatiuæ, & compoſitæ, & formæ complexæ duas aut plures dictiones, in quibus prouerbia inſerentur, & aliæ inſignes figuræ orationis. Quia uero hæc etiam pars libris non minus quàm ſex abſoluitur, fiunt in ſumma libri duodecim, quibus indago uerborũ continetur, non tamen ſeparata à cognitione rerum.

PARS TERTIA.

Ea quidem inſquens pars libris nouem terminata iunget rerum & uerborum notitiam, ſic tamen ut magis ad rerum indaginem pertineant, quàm uerborum. Et quia in quarto libro de ſignificantibus & conſignificantibus uocibus dicendum eſt, hoc loco mentionem feciſſe illius rei ſufficiet.

LIBRI XIII. CAPITA.

ORdine igitur liber decimustertius pronomina & quatuor genera uocum indeclinabilium diſtinguet commode. Ad pronomina quidem pertinent nomina, omnis, nullus, nemo, & ſimilia, quibus nomina & uerba communia & uaga & incerta per ſe, definiuntur, utq́ue loqui ſolent, determinantur: unde προσδιορισμοὶ appellantur à dialecticis, ceu uoces adiunctæ ijs uerbis, quæ rem quampiam circumſcriptam animo ſubijciunt, ut homo, ſcientia, ſentire & alia plurima ſunt. Quod articuli certiora & definita faciant ea nomina & participia, quibus adiunguntur, notum eſt ex præceptis grammaticorum Græcorum, & ex ſcriptis authorum. Idem faciunt pronomina tum primitiua tum poſſeſſiua, ut iſte homo fecit, meus ſeruus fecit. Quæ propoſitiones definitæ ſunt, & quidem ſingulares. Speciales ſiue particulares propoſitiones reddunt, quidam, aliquis, nonnulli, aliquot & ſimilia. Generales uero et uniuerſales propoſitiones efficiũt omnis, nullus, nemo non, uniuerſi, ſinguli, & aliæ uoces conſimiles. Proinde ad pronomina iungenda eſſe omnino cenſeo. Quorum nonnulla etiam pronominum declinationem ſequuntur, ut ullus, ullius ulli. Poſt hęc præpoſitiones per ſignificata ſua diſtribuent̃ in uno capite. Nec non aduerbia, interiectiones, coniunctiones. Et quia ſunt polyſema quædam, ut quando aduerbium temporis, & coniunctio cau

 ſalis,poſt præpoſitio,& aduerbiũ ordinis, recte in diuerſis quoq; locis diſponentur,ſicut nomina & uerba polyſema.

LIBRI XIIII. CAPITA.

QVæ res ad omnium artium & rerum cognitionem multum conduceret, nec non ad linguarum tractationem utilem,& ob quam pręcipue cupio reconcinnationem quandã commentariorum; ut uniuerſa certis locis diſtributa ſuum haberent nomen adiunctum, aut plura etiam uel propria uel tropo transmutata,ut ſimul componerentur ſynonyma, ut appellari ſolent: eam rem uideo non modo eſſe difficilem prę ſtitu,ſed etiam ualde controuerſam inter uiros doctiſſimos, quiq; ſibijpſis interdum contradicunt. Quia diſſentiũt in nomine ordinis rerum,& diſpoſitione partium,& numero partium, & fine uſuq; rei longe præſtantiſſimæ in omni literarum commercio. Eam controuerſiam ut tollere non molior. Quomodo enim eſſem uſq;adeo arrogãs, ut mihi ſumerem præſtare,quod non pauci homines eruditi planè deſperauerunt præſtari poſſe? Ita paucis pro mea ſimplicitate indicabo,quid rei literariæ plurimum conferret hac in parte,mea quidem ſententia.

Certum eſſe ordinem uniuerſorum,quæ exiſtunt,aut fuerũt, aut futura ſunt,aut phantaſia duntaxat componũtur, fatebitur, qui non ignorat,quid ſit ratio,& quid ſit ordo, quæ rerũ natura, quid homines eruditi, ut Auguſtinus & alij de ordine diſſeruerunt. Vt interim taceam,nullum cordatum hominẽ eſſe, qui domum ſuam & actiones uniuerſas non ſtudeat ordine pulcherrimo diſtribuere. Et quæ eſſet inſania, mundo uniuerſo, qui à deo ſapientiſſimo conditus eſt,& gubernatur ab eodem in iudicio & æquitate,ordinem adimere?

Ordinem uero uniuerſitatis ſolus deus exacte nouit, quem nihil omnino latet,qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina uocat:qui uocat etiam ea quæ non ſunt. Hominibus autem, ut tenuis rerum cognitio tributa eſt, utpote quorum intellectus ad ueritatem caligat & cæcutit, haud ſecus q; oculi noctuini ad ſolem authore ſummo philoſopho Ariſtotele: ita etiam ordinis modica notitia contigit. Vnde minus eſt mirãdum,in ordine rerum conſtituendo aliquantum inter ſe diſcrepare doctos homines, ut non dicam tumultuari. Nam Laurentius Valla in re concin-

concinnatione dialecticæ admodum uehemens eſt turbando ab
aliȷs conſtitutos ordines. De nulla etiam re uſq; adeo Ludeuicus Viues controuerſatur & litigat cum Ariſtotele, ut de finibus & limitibus uniuerſitatis rerum.

Porrò quum experientia quotidiana doceat plurimum referre in maximis & minimis rebus ſeruare ordinem, gratiæ magnæ habendę ſunt Archytę Pythagorico, & Ariſtoteli, & aliȷs prętantis ingeniȷ uiris, qui uniuerſitatem omnium, quæ mundus continet, quæq; mens humana comprehendere poteſt, in ordinem certum redigere ſtuduerunt. In quo neceſſario continetur, quicquid humanæ intelligentiæ peruium eſt. Videoq; ſummam utilitatem poſitam eſſe in quantulacunq; notitia ordinis rerum. De qua dicam alio in loco.

Me quidem nominum diſcrepantia nequaquam offendet, ex quibus diligenter conſideratis aliquid lucis emicabit. Ariſtoteles uocauit σχήματα κατηγορίας, figuras uocum, quæ aliȷs tribuuntur, & dicuntur de aliȷs: quemadmodum ſyllogiſmorum uocantur etiam figuræ. Hinc Iſidorus nimirũ tranſtulit decem ſpecies prædicamentorum. Idem Ariſtoteles de his librum fecit, quem inſcripſit κατηγορίας, hoc eſt prædicamentorum, aut prædicationũ, aut attributionum, aut attributorum. Nam hæc omnia diuerſi authores dicũt. Archytas Platonis doctor, qui primus author huius rei traditur, uocauit καθολικὸς λόγους. Ordines rerum aliqui uocarunt, aliȷ τὰ πρῶτα, aliȷ ſumma & prima rerum genera, quidam decem naturæ uerba. Quintilianus x. elementa interpretatus eſt. Siue igitur dicantur ſchemata dictionum aut categoriarum, ſiue ordines rerum, ſiue alio nomine, ipſa res magis nobis erit expendẽda.

Ordinem in illis categoriȷs explicãdis non eundem ſeruarũt. Ac ne Ariſtoteles quidem eundem ſeruat ordinem in categoriȷs, & lib. 5. metaphyſ. Quintilianus libro 3. inſtitutionũ loquens de ſtatibus ita collocat: Eſſentia, qualitas, quantitas, ad aliquid, ubi, quando, facere, pati, habere, compoſitũ eſſe. Diuus Auguſtinus ita diſtribuit, ut ſit uſia, id eſt, ſubſtantia, & nouem accidentia: ex quibus tria ſint in ſubſtãtia, qualitas, quantitas, iacere: tria extra ſubſtantiam, ubi, quando, habere: tria communia & intra ſubſtantiam & extra, ad aliquid, facere, pati. Iam quædã nulli ordini conuenire putant, ut quæ tranſcendentia uocant, bonum, uerum, & alia: item gloria, fama, ætas, iuſiurandum, teſtimonium, effectus,

 ut Viues opinatur. Quædam in diuerſis ordinibus collocant. Et ipſe quidem Ariſtoteles ſibi repugnat, alibi tempus & locum ſeparatim collocans, alibi ad quantitatem referens. Cuius generis eſt oratio. De qua planius mihi dicendum eſt hoc loco, ſiquidem uideo me obſcurū factū eſſe folio 136. dum uolo eſſe breuis, & uocem atq; epiphaniam uel ſuperficiem præcipitanter ſcribēdo coniunxi. Sic enim fuit ſcribendum: quumq; ſuperficiei, cui oratio ſimilis eſt, partes tribuit, &c. Vocem igitur Ariſtoteles ſubſtantijs adiungere uidetur, quum in problematis ſcribit ſectione 11. ἐπεὶ ἡ φωνή ἐστι ἀήρ τις ἐσχηματισμένος καὶ φερόμενος, ſiquidem uox eſt aër figuratus, quiq; fertur. Superficiem autem, cui ſimilem orationem dicunt, adiungit quantitati, & continuæ quidem, cuius partes communi termino iunguntur, orationem autem facit quantitatem diſcretam, ut numerum. Itaq; oratio ex ſententia principis philoſophorum eſt ſubſtantia, ſiquidem uox eſt, quam aërem figuratum dicit, & proinde ſubſtantiam. Rurſum idem Ariſtoteles quātitatis ordine complectitur. Verum quia uox eſt qualitas, & oratio uox, ad qualitatis ordinem pertinet. Philippus Melanchthon in prioribus editionibus artis dialecticæ orationem ad ordinem ad aliquid collocat, in poſterioribus ad qualitatem. Rodolphus Agricola ſermonem locutionem dicit, & locutionem actionem, ut curſus eſt actio. Ita oratio in quinq; rerum ordinibus conſiſtit, ſi omnibus authoribus fides ſit attribuenda, quod fieri nullo modo poteſt. Alia quædam in duobus ordinibus collocantur, quum ſint unius ordinis duntaxat una & eadem ratione. Quæ enim uerba res plures ſignificant, diuerſis ordinibus rerum aſſignari poſſunt, ut taurus ſignificans animal, ſydus, hominem, partem corporis, montē, diuerſis in locis poteſt collocari, quanquam ſub genere ſubſtātiæ. Dubitatur an ueſtis ſit qualitas, an ſubſtantia, an habere. Dubitatur quorſum pertineant nomina ponderū, menſurarum, nomiſmatum. Quæ quidem omnia exiſtimo poſſe ad certiſſimum ordinem reuocari, ſi homines in eam rem toto pectore incumbant.

Porrò de numero figurarum categoricarum diſſident, quum alij decem, alij quatuor, alij ſex numerant. Auguſtini, Ariſtotelis, & Archytæ Tarentini, & aliorum, qui eos ſequuntur, ſententia uidetur rationi congruere, ut ſint decem rerum ſumma genera, quibus continentur quæcunq; in diſputationem & ſermonem

& cogitationem hominis uenire poſſunt. Vt octo ſunt genera dictionum, quibus continẽtur uniuerſæ uoces, è quibus oratio contexitur. Cæterum uniuerſa colliguntur ad unitatem, ad eſſe. Cui opponitur, non eſſe. Græci εἶν, ὂν, οὐσίαν uel ἐσσίαν ab Ebræis mutuo acceperunt, qui dicunt ieſch, fuit, eſt, eſſe. Sunt autem quædam æterna ſine omni mutatione, ut deus, ueritas, & alia nonnulla, recondita in penitiſſimo theſauro ſcientiæ. Quę ſi quis uelit appellare tranſcendentia, non altercabor cum illo. Porrò in ſingulis claſſibus rerum exiſtimo hunc ordinem idoneum, ut primum uelut in tabula generali membra pręcipua proponantur: deinde ſingula membra deinceps explicentur, ut unumquodq; maxime notum eſſe debet ac poteſt hominibus. Vt homo ſibi maxime notus eſſe debet, quanquam nihil eſt admirabilius homine, qui cõpendio mundum uniuerſum complectitur. Obſcuriſſima uero eſt cognitio angelorum. Præmittãtur partes toti, ut partes animalium, ut plantarum. Iungentur concreta & abſtracta, quæ ſunt unius ordinis, ut herba herbaceus, albus albedo. Synonyma unius rei coniungantur apta diſtinctione.

Igitur decimusquartus liber complectetur ſubſtantias & naturas à deo creatas; quarum aliæ ſunt corporatæ, aliæ incorporeæ. Corporatæ uel habent animam, uel anima carent. Quæ anima carent, ſimplicia ſunt, aut compoſita. Cæterum anima præditæ ſubſtantiæ, uel ſenſum habent, uel carẽt ſenſu. Inter ea quæ ſenſum habẽt, alia rationem habent, ut homo: alia ſunt rationis expertia, ut bruta animalia. Proinde partes animaliũ recenſebuntur. Mox homo & propria nomina memorabilia, ut ueluti loci communes diſponantur, reges, philoſophi, opifices inſignes, fœminæ nobiles ingenio, uirtute, & eiuſmodi rebus, quæ in gente, cuius lingua explicatur, aliquando extiterunt. Tum enumerabuntur animalia per ſuas etiam claſſes, itemq; plantæ. Tum ſenſu carentia & perfecta, ut metalla & foſſilia: tum etiam imperfecta, ut meteora pluuia, nix, fulmen, & reliqua. Mox ſimplicia elementa, terra cũ ſuis partibus, ut eſt continens, inſula, &c. Item Aſia, Africa, Europa, &c. Aqua & eius partes, Oceanus, flumina, ſtagna, &c. aër, uenti, ignis. Deniq; cœlum, quod etiam uocatur mũdus. His imponẽtur ſpiritus & mentes, anima hominis, angeli, mali ſpiritus. Quo loco dij factitij gentiliũ exponi poſſunt. Porrò materia pertinet ad ſubſtantiam corporatam non ſentientem. Idea uel forma

 ponitur inter ſempiternas res à prȩſtantiſſimis philoſophis. Huic ordini Chriſtus imponitur deus & homo uniuerſorũ dominus.

LIBER XV.

EXplicabit autem liber decimusquintus corpora hominũ artificio compoſita, cum ſuis partibus. Vt ſunt ædificia, domus & partes eius, pons, uehiculum, nauigium, compoſitiones medicamentorum, opera piſtoria, potus factitij, ueſtimenta, & alia plurima. Quȩ non ſine ratione, neq; ſine idoneis authoribus ſubſtantijs adiungenda eſſe puto.

LIBER XVI.

EXponet numeros abſolutos, qui non ad aliquid relationem habent. Item longitudo, latitudo, altitudo huc pertinent. Nomina etiam menſurarum & ponderum.

LIBER XVII.

IS liber qualitates recipiet primum corpori adhærentes, deinde illas, quæ animæ inſident. Vtraq; pars latiſſime extenditur, & omni diligentia explicanda eſt.

LIBER XVIII.

ACtiones & paſſiones enumerabit, primũ in quibus eſt motus ſecundum locum, tum incrementum & diminutio: poſtea generationes & corruptiones: poſtremo, quæ fiunt per qualitatis uel in corpore uel in animo hærentis mutationem.

LIBER XIX.

REIatiua expediet, quæ affectionem habẽt mutuam & in unaquapiam re comparãtur, uelut in quantitate, par impar, duplum dimidiũ: uel in qualitate, ut ſimile, diſſimile, concolor, diſcolor, concors, amicus, & cætera: uel in actione, ut uictor uictus, inſtrumentum, qui inſtruitur, pater filius, actor reus, iudex, res uel perſona iudicata, ſignum res ſignificata.

LIBER XX.

QVatuor prædicamenta reliqua expediet, habere, ſitũ eſſe, locum, & tempus.

LIBER

IS liber complectetur principia, quibus res conſtant, & quibus ad cognitionem penitiorem cuiuslibet rei licet peruenire, nec alia uia. Quæ ut uidentur à uulgari cognitione remotiſſima, quia uidelicet negliguntur, ita omnibus ſunt utiliſſima & neceſſaria cognitu, qui nomen & dignitatem hominis tueri uolunt. Ideoq; in primis digna ſunt, quæ in quauis lingua nominibus aptiſſimis notata & conſignata ſint. Primum eſt ens entium, à quo uniuerſa eſſe habent, deus mens infinita & ſimpliciſſima, ab æterno generans ſui ſimilem & æqualē filium, deus genitus, deus ab utroq; procedens. Habet lingua Ebraica diuerſa nomina dei, ut iah, iehoua, el, äloha, ſchadai, adonai, & alia: habent aliæ quoq; linguę, quæ unum in locū ponere operæpretium eſt. Res æternæ & immutabiles, & per ſe ſubſiſtentes ſunt etiam ueritas, bonitas, ſapientia. Ab his ſeparari non poteſt infinitum, & modus, & ordo, & ratio uniuerſa permeans, uniuerſa continens, & ad unitatem reuocans. Idea quoq; & forma uniuerſorum ab æterno conſiſtit in diuina mente. Quod à ſummis philoſophis eſt animaduerſum uel potius eis diuinitus patefactum. Non ſunt prætermittendæ etiam priuationes, ut nihil, malum, falſum.

His adiungunt, quæ ipſa quoq; primæ & intimæ philoſophiæ ſubiecta uidentur, quorū tamen uſus pertinet ad dialecticos, rhetores, phyſicos, mathematicos, ethicos, iuriſconſultos, deniq; ad omnia negotia. Sunt autem indices rerum, uel inuentionis loci, ut frequentius appellantur, & regulæ cenſendi uerū atq; falſum. Indices rerum, qui mentem per uniuerſam naturam cuiuſq; negotij uel ſimplicis uel multiplicis dirigunt, XXIIII. Rodolphus Agricola numerat. Ad quos uideo aliorum locos & indices uniuerſos facile poſſe redigi. Quanquam in examinanda ueritate & ſcrutatione cuiuſq; rei alium ordinem ab eo, quem Rodolphus conſtituit, ſequendum alij cenſent, quibus aſſentior. Exiſtimo autem hunc ordinem indicum maxime conuenientem. Primum enim aliqua ſunt, quæ totam rem & ipſam ſubſtantiam adeo complectūtur, ut nomen, coniugata, genus, ſpecies, differentia & proprium, totum, partes, definitio, quæ diuiſionem quoq; ſibi adſumit. Tum ſunt cauſæ efficiens finis, & euentus, ut effecta & deſtinata. Deinde adiacentia rebus, & actus, & ſubiecta. Poſtea connexa, & tempus & locus, deinde contingētia, comparata, ſimilia.

 Poſt hæc oppoſita & diuerſa. Poſtremo iudicata ſeu teſtimonia & pronunciata aliorum ea de re, de qua iam quęritur.

In his continentur circumſtãtiæ perſonarum & rerum, & alij argumentorum indices, quibus rhetores utuntur. Id quod monſtrare non pigebit eum, qui linguam aliquam ſuſcepit explicare exactius.

Etiam prædicabilia indiuiduum, ſpecies, genus, differẽtia, proprium, accidens, illis XXIIII. indicibus incluſa ſunt.

Sophiſticarũ quoq; deceptionum uel loci uel modi, nam Ariſtoteles τρόπους etiam uocat, in his continentur, qui uel in uerbis, uel in rebus uerſantur, hoc eſt, ut logici dicunt, in dictione & extra dictionem. Quos modos fallaciarum oſtendet etiam ſcriptor diligens & accuratus commentariorum.

Loci quoq; cõmunes ad hunc ordinem pertinent. Qui quum ſint partim ſimplices uoces, utiq; in pręďicamentis poſiti ſunt, partim orationes, quæ pronunciant quid ſit, aut non ſit, aut præcipiunt aliquid, ut non temere credendum eſſe famæ, ac multa eiuſmodi. Quæ ex præceptis philoſophiæ diſcenda ſunt.

Regulæ dialecticæ uel cenſendi uerum & falſum ſunt axiomata ſummæ dignitatis & fidei, quæ ita ſunt menti humanæ inſita, ut probatione haudquaq; egeant, quæ Ariſtoteles in ſingulis locis uocat στοιχεῖα elementa. Boëtius maximas uocat. Quæ ſpectantur in ſingulis prædicamentis, quum proprietas cuiuſuis ordinis excutitur, ut ſubſtantia non recipit magis & minus. Subſtantiæ nihil eſt contrarium. Et in ſingulis indicibus, ut genus ex ſingulis ſpeciebus ſubiectis affirmatur. Negato genere, negantur omnes ſpecies. Definitio & definitum per omnia debent congruere. Deinde ſunt generaliores quædam regulæ, ut eſſe in omni, in nullo eſſe, de omni dici, de nullo dici. Et quæ mathematicorum principia ſunt, quæ duo uni tertio æqualia ſunt, ea quoq; inter ſe æqualia ſunt. Si demantur æqualia æqualibus, ea quæ reliqua ſunt, adhuc manent æqualia. Eiuſmodi principia etiam practica ſunt, leges & dictata naturalia uiuendi, quaſq; anticipationes uocant, tam in ijs, quæ ueritatis ſpectationem attingunt, quàm in rebus agendis, ut, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Benefacientibus referenda eſt bona gratia. Ex hoc fonte manarunt regulæ iuris plurimæ, & gnomæ ſapientiſſimorum hominum.

QVod in recenſendo fine & uſu multiplici operis, quod hiſce commentarijs deumbrare molior, dixi me oſtenſurum hanc rationem & methodū utilem eſſe ad uniuerſæ philoſophiæ cognitionem, utq; pueri ſtatim à teneris unguiculis manuducantur certo rectoq; itinere ad cognitionē ueræ philoſophię, id nunc faciendum eſt ut loco idoneo. Prius tamen de uſu categoriarum eſt explicandum. Categoriarum enim ſchemata primum iſtum uſum præbent & quidem eximium, quod uniuſcuiuſq; rei genus oſtendūt, & cognatas ſpecies, & differentias, unde componatur definitio. Nec quiſquam idoneus erit ad definiendum ſimul & diuidendum ſine prædicamentorum notitia. Vt rem utiliſſimam ille præſtet, qui rerum ordines in quacunq; lingua recte digeſſerit. Cui cohæret alius uſus, quod oſtendunt, quæ res & uoces ſint cognatæ, ut altera de altera dici & prædicari cōmode poſſit. Vnde pendet propoſitionum & quæſtionum cognitio. Atq; in eum uſum propoſitus eſt liber categoriarum, ſiue ipſe Ariſtoteles ſcripſit, ſiue alius congeſſit ex metaphyſicis, præcipue Ariſtotelis. Itaq; præclare faciunt Perionius, Sturmius, Philippus & alij, qui eum uſum prædicamentorum docent. Id quod diuus etiam Auguſtinus in libro decem categoriarum præclare fecit. Quintilianus etiam in ea ſententia fuit, quum dicit Ariſtotelem decem elementa conſtituiſſe, circa quæ uerſari uideatur omnis quæſtio. Et quatuor quidem pertinere ad ſtatus putat, ſex ad quoſdam argumentorū locos. Eſt enim tertius uſus, quod topicen tradunt, hoc eſt, uiam & rationem inueniendi, quid cogitari & dici unaquaq; de re poſſit, & argumenta quibus aliquid adſtruatur aut ſubuertatur. Quod Ariſtoteles parcius attingit libro primo topicorum, inquiens: Poſt hæc oportet determinare genera prædicamentorum, in quibus inſunt dictæ quatuor differentiæ. Sunt autem hęc numero decem, quid eſt, quantum, quale, ad aliquid, ubi, quando, iacere, habere, facere, pati, &c. Eum uſum Io. Sturmius, Ioachimus Perionius, & Philippus in dialecticis copioſius ediſſerūt. Quartus uſus eſt, qui pertinet ad entis cognitionem, ut rerū uniuerſitas certa diſtributione animo comprehendatur, unde facilis ſit cuiuslibet rei explicatio.

Et hunc uſum oſtendit Iſidorus, quanquam ineptioribus uer

 bis. Proficiet etiam ad libros intelligendos, qui ſiue rhetoribus ſiue dialecticis applicantur. Aptius autem Boëtius editione prima in prædicament. Ariſtot. Decem prædicamenta, quæ uocamus, infinitarum in uocibus ſignificationum genera ſunt: ut res infinitæ quæ ſub ſcientiam cadere nõ poſſent, generibus proprijs diffinita ſcientia comprehendantur. Vtilis eſt autem hæc cognitio ad dialectica, phyſica, ethica. Quẽ uſum Ariſtoteles præcipue oſtendit in 5. libro metaphyſicorum. Ac ſanè decem prædicamenta, utcꝫ Archytas appellauit, uniuerſalia uerba aut orationes, ſummatim comprehendunt philoſophiam, hoc eſt, cognitionẽ rerum diuinarum & humanarum. Et is uſus quadruplex non obſcure animaduertitur in commentarijs, qui ea methodo ſcribentur, ut rerum & uerborum notitia copuletur. Itacꝫ uſus quintus ſeparari non poteſt, quin plurimum commodatura ſit hæc uia cognoſcendis & explicandis quibuslibet linguis.

Puerorum autem institutioni ad hunc modum ſeruiet. Nancꝫ ut ex uniuerſa liberali & ingenua educatione tria potiſſimum petuntur, ſanum iudicium de rebus pertinentibus ad hominum cognitionem, pietas uitæcꝫ ſanctimonia, & facultas eloquendi apte quæ ſentias, ita primam pueritię diſciplinam illis congruere debere cenſeo. Ad pietatis Chriſtianæ & officiorum diſciplinam ſpectant rudimẽta fidei catholicæ, & præceptiones de moribus, quales ſunt uerſus Catonis, dicta Græcorum ſapientiũ, ſymbola Viuis, & alia. Vt ſenſus communis de rebus uerſantibus in humana uita expoliatur, & limetur, & eloquentia paulatim formetur, initium recte fit à literarum notitia & pronunciatione ſyncera, & generaliſſimis formulis declinandi uoces, & iungendi. Cui rudimento cohæret nomenclatura rerum & emendata ſcriptio. Cæterum quantum conferat non modo ad copiam uerborum & elocutionem, uerumetiam ad iudicium exactũ de rebus nomenclatura bene informata, oſtendit incomparabilis uir Symon Gryhæus, in quo pietatem Chriſtianam & uirtutes omnes, & muſas atcꝫ charites habuiſſe domicilium exiſtimo. In me quidem nihil tale commerentem ſingularem beneuolentiam multis argumẽtis declarauit. Cum eo uiro clariſſimo non ſemel & corâm & per literas egi de hoc opere commentariorum: qui etſi argumentum ualde probaret, nõ tamen diſſimulauit labores & difficultates ineſſe mihi quidem non ſuperabiles. Sed audiamus quid tribuat nomenclaturæ,

menclaturæ, quã abſolute uelim explicari in commentarijs iuſtis cuiuſcunq; linguæ. Sic enim ſcribit in præfatione onomaſtici Iulij Pollucis: Cũ ſint in hoc toto pueriles animos diſciplinis uelut agros linguarum ſarculo præparãdi negotio ſcopi duo, ut quàm facilime capi, & q; expeditiſſime depromi res poſſint, una eadẽq; ad utrunq; uia breuiſſima meo quidẽ uidere ducit, ſi certo ſuoq; nomine ſignatã rem, quamq; ante omnia puero tradamus. Onomaſticon traditionis genus hoc Græci, nomenclaturã rerum per genera diſtinctã uocant: incredibile uim & celeritatem quantam ad ſumma ſtudiorum incrementa afferentem, ſi rite ab incunabulis tractetur. Nam quum ipſa uocabula hominibus omne de rebus animi iudicium ſignificandi ceu pacta inter ipſos ſymbola ſint, peregrinum eſſe ſemper, quiſquis hæc non tenet, contra qui tenet in omni oratione tanquam domi uerſari certum eſt. Et inferius: Non ſatis eſt alterutrum, aut res oſtẽdere, nomina miſcere: aut docere nomina, res ipſas præterire. Vtrunq; neceſſe eſt, ſi inſtitutum recte celeriterq; puerum uelimus. Et iterum: Iam uero quo pacto conſtituere mens orationis agmen ſubitum poteſt, niſi nomenclatrix memoria in uniuſcuiuſq; rei uultus ceu locos intuens, ebuccinandam præconio linguæ momento tradit? Itaq; aut memorari melius retineriùe aut imprimi celerius nomina nõ poſſunt, quàm cum rerum ſuarum formis præſentibus inſcripta, in memoriam dum adhuc tenerrima eſt, reponuntur. Hæc Grynæus noſter ſummus amicus & obſeruandus præceptor, quum in terris degeret. Nunc autem poſt uitam & perſancte actam & religioſiſſime terminatã cœlo fruens, iure nobis hanc doctrinam reddit commendatiſſimam.

Proinde inſtructis commentarijs Latinæ linguæ & organo literario, quod hoc commentario deſignare ſtudeo, ludimagiſtrum fidum & diligentem non pigebit, neq; admodum erit difficile, epitomen ex illo facere aptum ſuæ ſcholæ. In quo non plus erit laboris, quàm ſit in notandis uocibus & ſententiolis in tabula per dimidium annum, & fructus longe uberior. Deſcribet enim literas Latinas ordine: mox diſtribuet in uocales, quibus diphthongi compoſitæ ex ipſis addentur: & in conſonantes, quæ iuxta ſoni & poteſtatis ſimilitudinem iungentur. De longis & breuibus ſyllabis, de acutis, grauibus, & circunflexis, ut pronunciandæ ſint, per notas proſodiæ breuiter annotabit: nec non de ſpatijs, &

 ut uocant muſici, de pauſis, quantæ ſint inter ſingulas uoces aut
ſentẽtias interponẽdæ, ut Eraſmus docuit ſcientiſſime. Hæc rudi
menta ſunt orthographiæ & orthoepeię. Quibus eodẽ compẽdio
etymologicen proponet, ut exẽplo Droſęi ſchemata ſiue typos &
formulas declinationũ pronominis, nominis & uerbi ꝓponat. Id
quod breuius & clarius abſolui poteſt, quàm Donatus fecit in
ſua methodo. His de compoſitione dictionum pars, & breiculę
regulæ ex Glareani grammaticis aut paulò auctiores ſubijcien-
tur. Poſtea ordine alphabetico recenſebit origines uocum, quæ
uix unam & alteram paginam implebunt. Quibus modica exer
citatione impreſſis animo, nullum erit negotium puero quamuis
dictionem reſolutam ad ſuum parentem dicto citius reducere.
Quantum habeat ea res momenti, res ipſa loquitur me tacente.
Poſt hæc nomenclaturam rerum quæ hodie in ludis literarijs uer
ſatur, ad methodum & genera uocum atq; rerum conformabit.
Vt pronomina, præpoſitiones, aduerbia maxime trita & non dé
riuatiua quælibet, interiectiones quoq; & coniunctiones ordine
certo componat. Ita ex ordine ſubſtantiarum, quantitatis, qualita
tis, actionum & reliquis ſumet cum iudicio maxime uerſantia in
uſu quotidiano, & digna etiam præcipue, quæ homo liberaliter
educãdus minime ignoret. Singulis autem dictionibus apponen
tur indiculi, qui dirigant in ſequentem partem. Erit enim poſtre-
ma pars, quæ locos communes ordine aptiſſimo digeſtos conti-
neat, in quos libelli ad eruditionẽ pueritiæ ſcripti, ut Catonis mo-
ralia, ut mimi Publiani, dicta ſapientum, ſymbola Ludeuici Vi-
uis, inſignia apophthegmata, prouerbiaq;, & fabulæ Aeſopicæ
tribus aut quatuor uerbis perſtrictæ, in primis Solomonis pro-
uerbia & ſymbolum apoſtolicum, & decalogus conferantur.
Iam in rerũ ordinibus & uocum index apponetur, qui aliquam
ſententiam memorabilem ei dictioni adiungat, quam præceptor
requirat, puer poſſit prompte reddere. Velut ad pronomen meus
index erit, qui folium & uerſum indicabit, in quo hæc ſententia
ponetur, Meum & tuum diſcordiæ principia. Deus indicem ha-
bebit, qui notet illam ſententiam, Homo homini deus. Loqui, no-
tam habebit, quę puerum dirigat ad illam ſententiam, Audi liben
ter, loquere pauca. Ea præſtituto die à pueris exigentur, ut per iu
gem ac diligentem exercitationem memoriæ infigantur. Singu-
lis autem diebus deinceps duas dictiones cum ſententia conne-

xa ediſcent, memoriæq; mandabunt, & qui iam ſcribunt, ſtudebunt illo de literis depingere. Ita quidem cognitio uocum Latinæ linguæ ſine errore & confuſione tradetur, & ingens progreſſus fiet in cognitione rerum. Quod orthographiæ, methodo percipiendæ, rerum cognitioni, ut nullius rei prorſus rudes & ignari maneant pueri, memoriæ colendæ, moribusq; formandis adferet plurimum momenti. Proinde optandum fuerit eiuſmodi libellos uerſari nõ modo in ludis Latinæ & Græcæ literaturæ, uerum etiam uernaculæ linguæ: ſiue quis pædologiã, ſiue inſtitutionem iuuentutis appellaret, ſiue alio nomine.

QVARTA PARS.

LIBER XXII.

TRes libri ultimi explicabunt orationis compagem & ſtructuram. Et is quidem grammaticæ orationis ſtructuram expediet, eamq; partem grammatices, quæ uocatur ſyntactice. Mirari ſoleo non diligentiori obſeruatione methodi homines eruditos in ea parte uerſatos eſſe. Capita erunt huius libri: Quid ſit conſtructio, & quibus in rebus ſpectetur, nimirum quæ dictiones iungi poſſunt, quo ordine, & quomodo. Vbi de ordine naturali & uerſo dicetur. Quid oratio indicatiua, imperatiua, & cætera. Mox per ſingulas orationis partes ibitur, & pronominis ſtructura indicabitur, nominis, uerbi, participij, præpoſitionis, aduerbij, interiectionis, coniunctionis. Deinde generalia quædam, ut quem uſum habeat geminatio dictionum, ut cum poëta dicit, magnorum maxime regum. Vt propoſitiones uniuerſales particulares, negatiuæ, affirmatiuæ, exceptiuæ, excluſiuæ, comparatiuæ enuncientur uarie, & quicquid eſt huius generis.

LIBER XXIII.

ABſoluet ſtructuram dialecticam, ea explicans, quæ Ariſtoteles in libris peri hermenias, & in analyticis proſecutus eſt. Quid dialectica, apodictice, ſophiſtice. Quid propoſitio, quæſtio, axioma, ſumptum, poſtulatum, propoſitum, adſumptio, concluſio. Propoſitio uera, falſa, neceſſaria, contingens, ab-

 ſurda & remota. Probabilis & ueriſimilis, paradoxa, & cætera. Affirmatiua, negatiua. Vniuerſalis, particularis, ſingularis, indefinita. Categorica, hypothetica. Simplex, compoſita, modificata. Argumentationes, ſyllogiſmus, dialecticus, demonſtratiuus, tentatiuus, ſophiſticus, apodixis, enthymema, inductio, exemplum. Simplex argumentatio, compoſita. Gradatio uel aſcenſus & deſcenſus. Tum fallaces iſtæ explicabuntur, ſoritæ, pſeudomenæ, crocodolitæ, aſyſtatæ, antiſtrephontes, dilemmata, & ceratinæ. Variæq́ oratorum argumentationes, epicherema, collectio, ratiocinatio, & reliquæ ad ſua genera iungentur. De diſpoſitione & iudicio: ubi methodus eſt expedienda.

LIBER XXIIII.

EXplicabit ultimus liber orationem politicam, aut oratoriam, & poëticam. Quis orator aut poëta. Fines loquentium & ſcribentium docere, mouere, delectare. Quibusq́ rebus unumquodq́ perficiatur, & unde petenda hæc. Nothi fines ſunt decipere, aſſentari, & ſimiles. Officia dicẽtis inuenire, diſponere electa & probata, uerbis eloqui, memoria complecti, pronunciare. Argumentũ ſeu materia oratoris. Partes orationis politicæ aut poëticæ. Elocutio quibus in rebus poſita ſit, nimirum in uerbis & ſententijs. Quid in ſingulis ſpectetur, & unde accipi poſſit. Schemata lexeos, quæ fiunt additione detractione, permutatione, tranſpoſitione, confirmatione. Schemata ſententiarum. Formulæ amplificandi & minuendi. Quid copioſe aut breuiter dicere, copiæ uerborum & rerum typus. Compoſitio habet ordinem, iuncturam, numerum. Ad numeri explicationem præcipue ſpectat diſcrimen orationis proſæ & uerſæ. Quot & qui pedes. Carmen in quo ceſura, arſis, theſis, & ſimilia. Genera carminum. Formæ orationis & characteres: optimum genus dicendi. Exempla orationis politicæ & poëticæ ab eloquentiſſimis authoribus ſumpta illuſtrabuntur ſcholijs breuiſſimis, quæ ſtatum, partes orationis, diſpoſitionem, argumenta, ſchemata, tropos, & alia id genus annotabunt.

ELoquentiam & ſapientiam arctiſſime coniunctas eſſe, ita ut altera nequeat ab altera ſeparari, adeoq́ nihil aliud eloquentiam eſſe, quàm ornate & copioſe loquentem ſapientiam, antea planum feci ex optimis oratoribus & philoſophis. Idem nunc unius Ciceronis uerbis refricare, non alienũ eſt ab hoc loco. Sunt autem poſita in priori libro de inuentione. Quæ & ſi adoleſcens protulit, ſenior tamen & perfunctus omnibus boni oratoris & optimi ſenatoris atq; conſulis muneribus, approbauit. Sæpe & multum, inquit, hoc mecum cogitaui, boni an mali plus attulerit hominibus & ciuitatibus copia dicendi ac ſummum eloquentiæ ſtudium. Et enumeratis bonis pariter ac malis, quæ homines eloquentes peperiſſe uidentur, ſubdit: Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ducit, ut exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus: eloquentiã uero ſine ſapientia nimium obeſſe plerunq;, prodeſſe nunquam. Quare ſi quis omiſſis rectiſſimis atq; honeſtiſſimis ſtudijs rationis & officij conſumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ ciuis alitur. Qui uero ita ſe armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, ſed pro his pugnare poſſit, is mihi uir & ſuis & publicis rationibus utiliſſimus atque amiciſſimus ciuis fore uidetur. Ac ſi uolumus huius rei, quæ uocatur eloquentia ſiue artis, ſiue ſtudij, ſiue exercitationis cuiuſdam, ſiue facultatis à natura profectę conſiderare principium, reperiemus id ex honeſtiſſimis cauſis natum, atq; optimis rationibus profectum. Et in fine præfationis: Ac mihi quidem uidentur homines, cum multis rebus humiliores & infirmiores ſint, hac re maxime beſtijs præſtare, quod loqui poſſunt. Quare præclarum mihi quiddam uidetur adeptus is, qui qua re homines beſtijs præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. Hoc ſi fortè non natura modo, neque exercitatione conficitur, uerum etiam artificio quodam comparatur, non alienum eſt uidere, quæ dicant ij, qui quædam eius rei præcepta nobis reliquerunt.

QVum igitur eloquentia ſit apex & perfectio cuiuſuis ſermonis omnium populorum, gentium & nationum, eloquentia uero nullo modo poſſit conſtare ſine ſapientia, exiſtimo argumētum ſuſceptum poſtulare, ut hoc loco ueram ſapientiam compendio proponam. Quæ ut ſola, unica, & ſempiterna eſt, ita omnibus populis, & ſingulis hominibus maximopere utilis, ſalutaris neceſſariaq́ eſt, ut bene beateq́ uiuāt, & ſummum bonum, hoc eſt felicitatem ac ueram beatitudinem conſequantur. Cui per diſcendæ & explicandæ & propagandæ per habitati orbis uniuerſa climata & tractus, iure optimo deſtinatur cognitio linguarum. Videoq́ me nihil poſſe melius facere, quàm ſi uocibus aliquot gentium & populorum, & ſpirituum bonorum ſimul & malorum, & teſtimonijs bonorū pariter ac malorum hominum, confeſſionibusq́ & ſymbolis aliquot breuiter, & tamen clarius oſtendam, quàm eſt ſol meridianus, ut de ea re nemo dubitare poſſit, niſi obſtinatus & peruicax, quæ nam ſit uera ſapientia, uera ſummi dei religio, ueriſſima pietatis doctrina, in tanta non modo Chriſtianorum, & Iudęorum & Turcarum, atq́ aliorum Machumetanorū, uerum etiam ipſorum Chriſtianorum inter ipſos diſſenſione de ſapientia uera, & doctrina & religione. Primumq́ ex ſcholæ Socraticæ diſcipulis oſtendā, quæ ſit uera ſapientia & philoſophia. Quare audiamus Marcum Ciceronem, Romanæ ſimul philoſophiæ, ſimul eloquentiæ parentem, qui à Platone Socratis diſcipulo imbutus eſt ſapientię pręceptis, & formatus. Verum quia ſtoicorum ſententiam, qui etiam è ſchola Socratis prodierunt, tuetur, uirtutem ſeipſa contentam eſſe ad beate uiuendum, prius occurram calumnijs. Idem enim ſenſit Lactantius. Et poteſt conciliari cum dictis ſupremi & unici magiſtri, qui in cœlis eſt, quum dicit: Beati qui audiunt uerbum dei, & cuſtodiunt illud. Beati eritis, quum hæc facietis. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Et alia, quæ tum in euangelio ſecundum Matthæum capite quinto, tum alibi pronunciantur. Porrò diuus Hieronymus in commentarijs Eſaiæ capite ii. ita ſcribit: Stoici, qui noſtro dogmati in pleriſq́ concordant, nihil appellant bonum, niſi ſolam honeſtatem, atq́ uirtutem: nihil malum, niſi turpitudinem. Tametſi uerbis ipſius Ciceronis oſtēdetur, eum ſapientiam

Cicero.

ueram

ueram ad ſuum fontem reducere, ad mentem cœleſtem: unde nihil profluere poteſt, niſi perfectum & abſolutum. Sic igitur ſcribit libro quinto Tuſcul. quæſt. Quintus hic dies Brute finem faciet Tuſculanarum diſputationum, quo die eſt à nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, diſputatū. Placere enim tibi admodum ſenſi, & ex eo libro, quem ad me accuratiſſime ſcripſiſti, & ex multis ſermonibus tuis, uirtutem ad beate uiuēdum ſeipſa eſſe contentam. Quod & ſi difficile eſt probatu propter tam uaria & tam multa tormenta fortunæ, tamen tale eſt, ut elaborandum ſit, quo facilius probetur. Nihil eſt enim omnium, quæ in philoſophia tractantur, quod grauius magnificentiusq; dicatur. Nam quū ea cauſa impulerit eos, qui primi ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt, ut omnibus rebus poſthabitis, totos ſe in optimo uitæ ſtatu exquirendo collocarent, profecto ſpe beate uiuendi tantam in eo ſtudio curam operamq; poſuerunt. Quod ſi ab ijs inuenta & perfecta uirtus eſt, & ſi præſidij ad beate uiuendum in uirtute ſatis eſt, quis eſt, qui non præclare & ab illis poſitam, & à nobis ſuſceptam operam philoſophandi arbitretur? Sin autem uirtus ſubiecta ſub uarios incertosq; caſus famula fortunæ eſt, nec tantarum eſt uirium, ut ſeipſa tueatur, uereor, ne non tam uirtutis fiducia nitendum nobis ad ſpem beate uiuendi, quàm uota facienda uideantur. Equidem eos caſus, in quibus me fortuna uehementer exercuit, mecum ipſe conſiderans, huic incipio ſententiæ diffidere, interdum etiam humani generis imbecillitatem fragilitatemq; extimeſcere. Vereor enim ne natura quum corpora nobis infirma dediſſet, ijsq; & morbos inſanabiles, & dolores intolerabiles adiunxiſſet, animos quoq; dederit & corporum doloribus congruentes, & ſeparatim ſuis angoribus & moleſtijs implicatos. Sed in hoc me ipſe caſtigo, quod ex aliorum, & ex noſtra fortaſſe mollitia, non ex ipſa uirtute, de uirtutis robore exiſtimo. Illa enim, ſi modo ulla eſt uirtus, quam dubitationem auunculus tuus Brute ſuſtulit, omnia quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe habet, eaq; deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaq; omni carens præter ſeipſam nihil cenſet ad ſe pertinere. Nos autem omnia aduerſa tum uenientia metu augentes, tum mœrore præſentia, rerum naturam, quam errorem noſtrum damnare malumus. Sed & huius culpæ & cæterorum uitiorum peccatorumq; noſtrorum omnis à philoſophia petenda correctio eſt. Cu

 ius in ſinum quum à primis temporibus ætatis noſtra uolũtas ſtudiumq́ nos cõtuliſſet, his grauiſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna iactati tempeſtate confugimus. O uitæ philoſophia dux, ô uirtutis indagatrix, expultrixq́ uitiorum, quid non modo nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem uitæ conuocaſti: tu inter ſe primo domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & uocum communione iunxiſti. Tu inuentrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, à te opem petimus, tibi nos ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totosq́ tradimus. Eſt autem unus dies bene & ex præceptis tuis actus penè toti immortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus utamur, quàm tuis? quæ & uitæ tranquillitatem largita es nobis, & terrorem mortis ſuſtuliſti. At philoſophia quidem tantum abeſt, ut perinde ac de hominum eſt uita merita laudetur, ut à pleriſque neglecta, à multis etiam uituperetur. Vituperare quiſquam inquam uitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audet? Et tam impie ingratus eſſe, ut eam accuſet, quam uereri deberet, etiamſi minus percipere potuiſſet? Sed ut opinor, hic error, & hæc indoctorum animis offuſa caligo eſt, quod tam longe retro aſpicere non poſſunt, nec eos à quibus uita hominum inſtructa primo ſit, fuiſſe philoſophos arbitrantur. Quam rem antiquiſſimam quum uideamus, nomen tamen confitemur eſſe recens. Nam ſapientiam quidem ipſam quis negare poteſt non modo re eſſe antiquam, uerumetiam nomine? quæ diuinarum humanarumq́ rerum, tum initiorum, cauſarũq́, tum cuiuſq́ rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos aſſequebatur. Idem in quarto libro Tuſcul. De cuius excellentia multa quidem dici, quamuis fuſe lateq́ poſſint, ſed breuiſſime illo modo: Sapientiam eſſe rerum diuinarum & humanarum ſcientiam, cognitionemq́, quæ cauſa cuiuſque rei ſit. Ex quo efficitur, ut diuina imitetur, humana omnia inferiora uirtute ducat. Idem Cicero libro primo officiorum: Princeps eſt omnium uirtutũ illa ſapiẽtia, quam σοφίαν Græci uocant. Prudentiam enim, quã uocant Græci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum expetẽdarum fugiendarumq́ ſcientia. Illa autem ſapiẽtia, quam principẽ dixi, rerum eſt diuinarum & humanarum ſcientia: in qua continetur deorum

Sapientia. Philoſophia.

rum

rum & hominum communitas atque ſocietas inter ipſos. Sapien
tiæ uerò ſtudium ex Græcia translatum eſſe in urbem Romam ſub Lælij & Scipionis ætatem idem Cicero teſtatur, nihilominus tamen maiores Rom. hanc ampliſſimam omnium artium bene uiuendi diſciplinam uita magis quàm literis perſequuti ſunt. Quumque ueram elegantemque illam philoſophiam, quæ in peripateticis adhuc permanſit, & in ſtoicis idem alio modo dicentibus, à Socrate eſſe ductam aſſeueret, altius tamen illi auguſtiusque principium aſſignat ſapientiæ, quum eam ad naturam adeoque ad diuinam mentem reuocat. Nam libro 3. de finibus ait: Quum omnia officia à principijs naturæ proficiſcantur, ab eiſdem neceſſe eſt proficiſci ipſam ſapientiam. Et 1. lib. de oratore: Siue quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui iure ciuili & legibus continentur. Ex his enim & dignitatem maxime expetendam uidemus, quum uerus, iuſtus, atque honeſtus labor honoribus, præmijs, atque ſplendore decoratur: uitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominijs, uinculis, uerberibus, exilijs, morte mulctantur. Et docemur non infinitis concertationibusque plenis diſputationibus, ſed autoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere. Fremant omnes licet, dicam quod ſentio, bibliothecas me hercule omnium philoſophorum unus mihi uidetur 12. tabularum libellus, ſi quis legum fontes, & capita uiderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare.
Atque in ſecundo libro de legibus: Hanc uideo ſapientiſſimorũ fuiſſe ſententiã, legem nec hominũ ingenijs excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod uniuerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem eſſe ducebant, omnia ratione aut cogentis aut uetantis dei: Ex qua illa lex, quã dij humano generi dederũt, recte eſt laudata. Eſt enim ratio mensque ſapientis ad iubendum & ad deterrendum idonea. Et quũ frater Quintus ſubijciat: Aliquoties iam iſte locus à te tractatus eſt: ſed antequam ad populares leges uenias, uim iſtius cœleſtis legis explana, ſi placet, ne æſtus nos conſuetudinis abſorbeat, & ad ſermonis morem uſitati trahat. M. Cic. Lex.

B

 reſpondet: A paruis enim Quinte didicimus, ſi in ius uocatur, atq; eiuſmodi leges alias nominare. Sed uero intelligi ſic oportet, & hæc & alia iuſſa ac uetita populorum uim habere ad recte facta uocandi, & à peccatis auocandi. Quæ uis nō modo ſenior eſt, quàm ætas populorum & ciuitatū, ſed æqualis illius cœlū atq; terras tuentis & regentis dei. Neq; enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt, nec ratio diuina non hanc uim in rectis prauisq; ſanciendis habere. Nec quia nuſquā erat ſcriptū, ut cōtra omnes hoſtiū copias in ponte unus aſſiſteret, à tergoq; pontem interſcindi iuberet, idcirco minus Coclitē illū rem geſſiſſe tantæ fortitudinis lege atq; imperio putabimus. Nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non cōtra illā legem ſempiternā Sextus Tarquinius uim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerū natura, & ad recte faciendū impellens, & à delicto auocans. Quæ non tum demū incipit lex eſſe ſcripta, ſed tum quū orta eſt. Orta eſt autē ſimul cum mente diuina. Quamobrem lex uera atq; princeps apta ad iubendū & ad uetandū, ratio eſt recta ſummi Iouis. Q. Aſſentior frater, ut quod eſt rectum, uerum quoq; ſit, neq; cum literis quibus ſcita ſcribunt aut oriatur, aut occidat. M. Ergo ut illa diuina mens ſumma lex eſt, item quum in homine eſt, perfecta eſt in mente ſapientis. Quæ ſunt autē uariæ & ad tempus ſcriptæ, populi fauore magis quàm re legum nomen tenent. Atq; ex hoc ſacroſancto fonte perfectæ rationis, uel potius diuinæ mentis, Cicero uirtutē corriuat, quā ad bene beateq; uiuendū ſatis inſtructam exiſtimat. Sic enim in 4. lib. Tuſcul. ſcribit: Quando uirtus eſt affectio animi conſtans conueniensq;, laudabiles efficiens eos, in quibus eſt, & ipſa per ſe ſua ſponte, ſeparata etiam utilitate laudabilis, ex ea proficiſcuntur honeſtæ uolūtates, ſentētiæ, actiones, omnis recta ratio. Quanquā ipſa uirtus breuiſſime ratio recta dici poteſt. Huius igitur uirtutis cōtraria eſt uitioſitas. Ex qua cogitantur perturbationes, quæ ſunt, ut paulò ante diximus, turbidi animorum concitatiq; motus auerſi à ratione, & inimiciſſimi mentis uitæq; tranquillæ. Agnoſcit & confitetur M. Cicero unum deum, quem ſummum uocat Iouem, qui tuetur regitq; cœlum & terram. Cuius ratio (λόγον uerbum rationem & ſermonem appellare filium dei, docuit nos theologia, quòd Hermes, Plato, & multi ethnici

ethnici non ignorarunt) ſit ſuprema lex. E qua tum populorũ & ciuitatum bonæ leges, tum ſapientia, tum in ſingulis perfecta ratio ducunt originem. Quæ ipſa etiam uirtus exiſtit hominem inſtruens ſola, ut bene beateq́ uiuat.

Audiamus igitur etiam Platonẽ uel potius Socratẽ ipſum, Plato. qui cœlo ſapientiam deduxiſſe fertur. Quum enim in Theæteto, qui dialogus diſputationẽ continet de ſcientia, Theodorus dixiſſet, ſi cæteris hominibus ea quæ dicis, ô Socrates æque ac mihi perſuaderes, pax amplior, et mala pauciora inter homines naſcerentur, Socrates reſpondet: Impoſſibile eſt, ô Theodore, mala penitus extirpari. Nam bono aliquid oppoſitum eſſe ſemper neceſſe eſt. Neq́ illa tamen apud deos locũ habere poſſunt. Naturam uero mortalem regionemq́ inferiorẽ neceſſariò circũeunt. Quare conandum eſt ut hinc illuc quàm celerrime fugiamus. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι. Fuga autem eſt, ut deo ſimiles pro uiribus efficiamur. Deo ſimilis efficit cum prudentia iuſtitia ſimul & ſanctitas. Cæterum, ô uir optime, haud facile id perſuaderi poteſt, quod non illius gratia, cuius uulgus exiſtimat, ſequenda uirtus, & uitium fugiendum, hoc eſt, ne malus uidearis, utq́ bonus appareas. Hæ nãq́ auicularũ nugæ mihi eſſe uidentur. Sed quod uerum eſt, ita dicamus: Deus nuſquã & nullo modo iniuſtus, ſed quàm iuſtiſſimus, totam uidelicet iuſtitiæ complexus poteſtatem: nihilq́ illius ſimilius, quàm iuſtiſſimus homo. περὶ τούτου καὶ ἡ ὡς ἀληθῶς δεινότης ἀνδρὸς, καὶ οὐδενία τε καὶ ἀνανδρία. ἡ μὲν γὰρ τούτου γνῶσις σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή. ἡ δὲ ἄγνοια, ἀμαθία καὶ κακία ἐναργής. Hoc eſt, Circa hunc reuera uigor & gnauitas ac fortitudo uiri, nec non inertia nihiliq́ hominis abiectio uerſatur. Huius enim (nimirum dei) cognitio, ſapientia & uera uirtus, ignoratio contra, inſcitia & improbitas manifeſta. Aliæ uero quæ facultates ſapientiæq́ uidentur, in ciuilibus quidem magiſtratibus moleſtæ ſunt, in artibus autem mechanicæ: Illi igitur qui aliquid inique patrauit, quiq́ profana protulit, uel commiſit, longe præſtaret non concedere aſtutijs eſſe potentem atque fœcundum. Exultant enim opprobrio huius generis homines, ſeq́ audire putant, minime abiectos & inanes homunculos eſſe, quaſi ferè ut dicitur, pondus iners: ſed uiros tales, ut tutò in republica uer-

 ſari ualeant. Ideoq; ueritas exprimēda eſt, quod eò magis tales ſunt, quales nō putant, quò minus putāt. Iniuſtitiæ nanq; mulctam ignorant, quā ignorare minime decet. Neq; enim eſt, quā forſitan opinantur, uerbera atq; cædes, quæ ſæpe hi patiuntur, qui nihil iniuſtum egerunt, & iniuſti ſæpe deuitant: ſed ea potius, quæ uitari non poteſt. Quam dicis? παραδειγμάτων ὦ φίλε ἐν τῷ ὄντι ἑστώτων, τοῦ μὲν θείου εὐδαιμονεστάτου, τοῦ δὲ ἀθέου ἀθλιωτάτου. Cum in ordine rerum, ô amice, exemplaria duo ſint, diuinum quidem beatiſſimum, quod uero dei expers, miſerrimum, non uidentes ita rem ſe habere, ſtultitia extremaq; dementia occupati, non ſentiunt ſe huic ob iniquas actiones ſimiles euadere, illi contra diſſimiles. Cuius profecto delicti pœnas pendent, dum uitam illi conuenientem, cui ſimiles effecti ſunt, ducunt. Enimuero ſi dixerimus, quod hos quidem, niſi à nequitia ceſſauerint, uita functos locus ille malorum expers non capiet. Hîc autem proprie uitæ ſimilitudinem gerent ſemper unà cum malis mali uerſantes, ipſi tanq; aſtuti malitioſiq; deliramēta quædam audire ſe dicent. Hoc autē illis accidit, quod ſi quandò priuatim reddere uiciſſim et afferre in mediū rationes eorum, quę uituperent, neceſſe ſit, uelintq; uiriliter diſputandi morā perpeti, neque ignaue fugere, tunc demum, quod abſurdum eſt ſibijpſi in his quæ dicunt, nequaquā placent, eorumq; rhetorica penitus euaneſcit, ut nihil differre à pueris uideant. Quanto rectius & Chriſtianius Plato & Socrates ꝓnunciant de deo, de fine hominis, de futura conditione bonorū iuxta & impiorum, de uirtute & officijs, deniq; de ſapientia, q̄ multi nō Chriſtiani, ſed nouitij epicurei, aut titulotenus Chriſtiani? Aut quis docuit ethnicos illam ſapientiā? Nimirū deus illis patefecit, ut Paulus oſtendit in epiſtola ad Rom. Et uerbū quod ueniens in mundū illuſtrat omnes. Vt autē ſapientia ex propheticis fontibus dimanarit etiam in ethnicos ſapientes, oſtenderūt olim, Euſebius, Theodoritus, Clemens, & alij: nuper autē Auguſtinus Steuchus in libris de perenni philoſophia. Tranſeamus igitur ad ſcholam Moſis.

Ioſephus. Ioſephus nanq; gentilis philoſophiæ non ignarus, & doctrina, eloquentiaq; Græca cum præſtantiſſimis ſcriptoribus conferendus, in libris contra Apionem copioſe docet Pythagorā & alios tum Græcos tum barbaros ſapientes ex Ebraicis fontibus

bus hauſiſſe, quod in ſuos ſermones & libros tranſtulerunt. In ſermone autẽ de imperio rationis, ſapientiæ uim appoſite explicat. Cuius uerba Græca reddam, ut ipſius ſententia, quã ex Moſe diuino didicit, plenius cognoſcatur. λογισμὸς μὲν τοίνυν ἐστὶ νοῦς μετὰ ὀρθοῦ λόγου προτιμῶν τὸν σοφίας βίον. σοφία δὲ ἐστὶ γνῶσις θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων. αὕτη τοίνυν ἐστὶν ἡ τοῦ νόμου παιδεία, δι᾽ ἧς τὰ θεῖα σεμνῶς, καὶ τὰ ἀνθρώπινα συμφερόντως μανθάνομεν. τῆς δὲ σοφίας ἰδέαι καθεστῶσι φρόνησις, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, καὶ σωφροσύνη. κυριωτάτη δὲ πάντων ἡ φρόνησις, ἐξ ἧς δὴ τῶν παθῶν λογισμὸς ἐπικρατεῖ. Quæ Latina feci ad hunc modum. Ratio equidem eſt mens ordine modoq; recto primatum tribuens uitæ ſapienter inſtitutæ. Sapientia uero notitia eſt rerum diuinarum iuxta & humanarum, nec non cauſarum, quibus hæ conſtant. Quæ quidem exiſtit ipſiſſima legis diſciplina, per quam diſcimus & diuina reuerenter, & humana utiliter. Sunt autem hæ formæ ſapientiæ, prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia. Maxime quidem omnium prudentia, cuius ui ratio moderatur affectibus.

Porrò Iudæorum eloquentiſſimus Philo, qui excellentia doctrinæ & eloquio uſq; adeò Platonẽ æquauit, ut diceretur uel Platonem φιλωνίζειν uel Philonem πλατωνίζειν, in libello, qui uulgo ſapientia inſcribitur, ſapientiam magnifice prædicans, non aliam oſtendit quàm quæ lege diuina continetur. Sic enim ſcribit capite 7: de uera & diuina ſapientia: Vapor eſt uirtutis dei, & emanatio quædã claritatis omnipotentis dei ſyncera: & ideo nihil iniquinatum in eam incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius. Et cũ ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens, omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert. Amicos dei & prophetas conſtituit. Neminem enim diligit deus niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarũ luci comparata inuenitur prior. Illi enim ſuccedit nox: ſapientiã autẽ non uincit malitia. Et in 8. cap. Generoſitatem illius glorificat contubernium habens dei. Sed & omniũ dominus dilexit illam. Doctrix enim eſt diſciplinę dei, & electrix operũ illius. Si quis iuſtitiam diligit, & labores huius magnas habent uirtutes. Sobrietatem enim & prudentiã docet, & iuſtitiam, & fortitudinem: quibus Philo.

 utilius nihil eſt in uita hominibus. Cæterum Ioan. Picus in heptaplo ſuo ſcribit, ſe legiſſe librũ Solomonis illius cognomẽto ſapientiſſimi, cui titulus ſapientia, non quod nunc in manibus eſt Philonis opus: ſed librum Hieroſolymitana, quam uocant, ſecretiori lingua compoſitum. In quo uir naturæ rerum ſicuti putatur interpres, omnem ſe illiuſmodi diſciplinam fatetur de Moſaicæ legis penetralibus accepiſſe.

Solomon. Solomon quoque omnium mortalium ſapientiſſimus non aliam philoſophiam & ſapientiam agnoſcit, quàm uoluntatis diuinæ, atque naturæ dei & officij ſui cognitionem ex diuina lege. Sic enim loquentem facit ipſam ſapientiam in prouerbiorum libro, capite octauo: Dominus poſſedit me in initio uiarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Et iterum: Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & uiam prauam & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium & æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum cõditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Ac paulò poſt: Beatus homo, qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet ſalutem à domino. Qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Porrò timorem domini oſtendit eſſe principium ſapientiæ. Præterea diſputationem de rebus expetendis & fugiendis, qua ipſa diuina ſapientia ueluti eccleſiaſten agẽs & concionans omnibus nationibus & populis, refellit falſas ſimul & pernicioſiſſimas opiniones hominum, qui felicitatem ſummumq́ bonum collocant in uoluptate corporis, aut in diuitijs, aut in potentia, aut in curioſa & ſuperuacanearũ rerum cognitione, ita concludit, ut ſtatuat uere beatum, qui deo per ſanctam religionem coniunctus et arctiſſime copulatus & unitus eſt. Et quia uulgaris Latinorum translatio non ſatis Solomonis ſententiam exprimit in calce libri eccleſiaſtæ, reddam eam planius. Perquiſiuit etiã concionans, ut inueniret † rationes expetibilium rerũ, & * præcepta officiorum, ſermones ueriſſimos. Sapientium enim ſermones ſunt uelut ſtimuli, & uelut claui plantati inter folia collectitia, quę tradita ſunt ab uno paſtore,

† Ebr. uerba uoluntatis.

** ſcriptum recti.*

paſtore. Poſtremo fili mi caue admonitus: nam libros multos facere infiniti eſſet operis, et iugis lectio moleſtus labor carnis. Etenim finis uniuerſi negotij auditus eſt: Deum timeto, & pręcepta illius ſeruato: nam in hoc conſiſtit omnium hominum perfectio. Deus enim in iudiciũ adducet omne opus, cum omni re occulta, ſiue quid bonum, ſiue malum fuerit.

Iam Dauid pater Solomonis & pater Meſſiæ benedicti & theopator, dum ſententiam illam, Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini, pſalmo 118. uariat, expolit, illuſtrat: quid aliud agit, quàm quod oſtendit legem diuinã eſſe ueram, & unicam ſapientiam, quæ ſapientiam confert paruulis & obtemperantibus, quæque ad ueram beatitudinem adducit? Vnde Hieremias quoque propheta grauiter increpat Iſraeliticos doctores ut inſipientes, quum minime curent diuinam legem & uerbum. Quomodo dicitis, inquit, ſapientes nos ſumus, & lex domini nobiſcum eſt? Vere mendaciũ operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt. Verbum enim domini proiecerũt: & ſapientia nulla eſt in eis. *Dauid.* *Hiere. 8.*

Verum audiamus principem omnium prophetarum ſummumque theologum Moſen, cuius ſe diſcipulã clamitat hodieque ſynagoga uel potius diſperſio Iudaica, quam ſapientiam propinet, & quos fontes, quem finem, quod argumentum & materiam oſtendat. Etenim explanaturus concionẽ diuinæ maieſtatis, quam habuit in monte Sinai, principio præparat auditores, & lectores diuino quodã artificio. Et quarto quidem capite commemorat omnes res, quibus affectus & uoluntas rectiſſime componatur ad legem diuinam, quibusque admiratio & amor concilietur theologiæ Moſaicæ. Oſtendit enim genus doctrinæ, & differentiam excellentiamque pręaliis, & effectus, & finem, & modum utendi, & authorem, & antiquitatem ueræ ſapientiæ, utque finiam uno uerbo, quæcunque merito ſupremam authoritatem uendicent uerbo diuino. Locutus eſt dominus ad uos de medio ignis, inquit. Vocem uerborũ eius audiſtis, & formam penitus non uidiſtis. Et oſtendit uobis pactũ ſuum, quod præcepit ut faceretis, & decem uerba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis. Et ſuperius in eodem capite: Scitis quod docuerim uos præcepta atque iuſtitias, ſicut mandauit mihi dominus deus meus; ſic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri *Moſes.*

 eſtis, & obſeruabitis, & implebitis opere. Hæc eſt enim ueſtra ſapientia & intellectus coram populis: ut audientes uniuerſi præcepta hęc dicant: En populus ſapiẽs & intelligens, gẽs magna, & quæ ſequuntur. Sed in cantico deuteronomij capite triceſimoſecundo, exhortans ad obſeruationem legis, & prædicens mala euentura contemnentibus legem & præuaricatoribus, non ſapientem uocat populum, nõ primogenitum, non gentem ſanctam, & regnum ſacerdotale, & peculium de cunctis populis. Verum oſtendit minime inter ipſos & deum conuenire poſſe. Dei perfecta ſunt opera, & omnes uiæ eius iudicia. Deus fidelis, & abſq; ulla iniquitate, iuſtus & rectus. Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus. Generatio praua atque peruerſa, hæccine reddis domino popule ſtulte & inſipiens? Et 30. cap. obuiam atque paratu facilem docet eam ſapientiam diuinam, idq; ex cœleſtis gratiæ dono. Sic enim loquitur: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere, Quis noſtrum ualet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere compleamus? Neq; trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas, Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire & facere, quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo ualde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo uitam & bonum, è contrario mortem & malum, ut diligas dominum deum tuũ, & ambules in uijs eius, & cuſtodias mandata illius, ac cæremonias, atq; iudicia, & uiuas, atq; multiplicet te, benedicatq; tibi in terra, ad quam ingredieris poſſidendam.

D. Paulus. Atque hoc ipſum uerbum Paulus doctor gentium & apoſtolus Ieſu Chriſti, ut ad ſcholam Chriſtianam tranſeamus, dicit eſſe uerbum fidei, & euangelium quod apoſtoli prædicauerunt. Ita enim ſcribit diſcipulus Moſis, qui legem perdidicit ad pedes Gamalielis, idemq; organum electum Chriſti ad Rhomanos: Finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credẽti.

Rom. 10. Et recitato Moſis teſtimonio infert: Hoc eſt uerbũ fidei quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod deus illũ ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autẽ fit con-

feſſio

feſſio ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Greci. Nam idem dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Proinde in epiſtola ad Coloſſenſes inquit, in Chriſto eſſe abſtruſos omnes theſauros ſapientię & cognitionis. Quin ipſum eſſe ueram ſapientiam aſſeuerat in priori ad Corinthios epiſtola. Nos, ait, prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, ipſis autem uocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum dei uirtutem & dei ſapientiam. Idem agit Petrus apoſtolus, qui eximiam ſapientiam Paulo tribuit. Idem Iacobus frater domini, idem Ioannes, Iudas, & omnes apoſtoli docuerunt.

Porrò Aurelius Auguſtinus, princeps theologorum Latinorum, in libro de uita beata, profitetur ſe adoleſcentem undeuiginti annorum lectione Hortenſij libri, quem Cicero de philoſophię laudibus ſcripſit, inflammatum fuiſſe amore philoſophiæ. Definit autem ſapientiam modum animi humani, quo ſeſe librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quàm plenũ eſt, coarctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, ſuperbias, cæteraque id genus, quibus immoderatorum miſerorumque animi ſibi lætitias atque potẽtias comparari putant. Coarctatur autem ſordibus, timoribus, mœrore, cupiditate, atque alijs, quæcunque ſunt, quibus homines miſeros etiam miſeri confitentur. Cum uero ſapientiam contemplatur inuentam, cumque, ut huius pueri uerbo utar, ad ipſam ſe tenet, nec ſe ad ſimulachrorum fallaciam, quorum pondus amplexus à deo ſuo cadere atque demergi ſolet, ulla commotus inanitate conuertit, nihil immoderationis, & ideo nihil egeſtatis, nihil igitur miſeriæ pertimeſcit. Habet ergo modum ſuum, id eſt, ſapientiam, quiſquis beatus eſt. Quæ eſt autem dicenda ſapientia, niſi quæ dei ſapientia eſt? Accepimus autem etiam authoritate diuina dei filium nihil eſſe aliud, quàm dei ſapientiam. Et eſt dei filius profecto deus. Deum habet igitur, quiſquis beatus eſt. Sed quid putatis eſſe ſapientiam, niſi ueritatem? Etiam hoc enim dictum eſt: Ego ſum ueritas. Veritas autem ut ſit, fit per aliquem ſummum modum, à quo procedit, & in quem ſe perfecta conuertit. Ipſi autem ſummo modo nullus alius modus imponitur. Si enim ſummus modus per ſummũ modum eſt modus, per ſeipſum modus eſt. Sed etiã ſummus modus neceſſe eſt, ut uerus modus

Auguſtinus.

 ſit. Vt igitur ueritas modo gignitur, ita modus ueritate cognoſcitur. Neq; igitur ueritas ſine modo, neq; modus ſine ueritate unquam fuit. Quis eſt dei filius? Dictũ eſt, ueritas. Quis eſt qui non habet patrem? Quis alius quàm ſummus modus? Quiſquis igitur ad ſummum modum per ueritatem uenerit, beatus eſt. Hoc eſt animis deum habere, id eſt deo frui. Cætera enim quamuis à deo habeantur, non habent deum. Admonitio autem quædam, quæ nobiſcum agit, ut deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulſo omni faſtidio ſitiamus, de ipſo ad nos fonte ueritatis emanat. Hoc interioribus luminibus noſtris iubar ſol ille ſecretus infundit. Huius eſt uerũ omne, quod loquimur, etiam quando adhuc uel minus ſanis, uel repente apertis oculis audacter conuerti, & totum intueri trepidamus: nihilq; aliud etiam hoc apparet eſſe, quàm deum nulla degeneratione impediente perfectũ. Nam ibi totum atq; omne perfectum eſt, ſimulq; eſt omnipotẽtiſſimus deus. Sed tamen quandiu quærimus, nondum ipſo fonte, atq; ut illo uerbo utar, plenitudine ſaturati nondum ad noſtrũ modum nos perueniſſe fateamur. Et ideo quamuis iam, deo adiuuante, nondum tamen ſapientes ac beati ſumus. Illa eſt igitur plena ſatietas animorum, hæc eſt beata uita, pie perfecteq; cognoſcere, à quo inducaris in ueritatem, quo ueritate perfruaris, per quid connectaris ſummo bono. Quæ tria unum deum intelligentibus unamq; ſubſtantiam, excluſis uanitatibus uariæ ſuperſtitionis, oſtendunt. Hæc eſt nullo ambigente beata uita, quæ uita perfecta eſt: ad quam nos feſtinanter poſſe perduci ſola fide, alacri ſpe, flagranti charitate, præſumendum eſt.

Euſebius. Euſebius Cæſarienſis, inter Græcos theologos anteſignanus, in libro cui titulum fecit de præparatione euãgelica, philoſophias & theologias Græcorum, Romanorum, Aegyptiorum, Antlantorum, Chaldæorum, Phœnicum, Phrygum, Ebræorum enumerans, oſtendit, quid habeant uanitatis, & rurſum quid boni, atq; idipſum hauſtum ex fontibus ſcripturę propheticæ. Quid autem ſit Chriſtianiſmus, & ſapientia uera, quam docet euangelium in operis principio ſummatim comprehendit ad hunc modũ. Euangelium dicimus, quod æternorum atq; incorruptibilium bonorum, quæ certè ſuprema & maxima ſunt, & ex antiquiſſimis prædicta temporibus, nuper uero ſplendore ſui orbem illuſtrantia, cunctis hominibus annunciat. Quod non cæcas caducasq; huius

ſus ſeculi diuitias, nec breuem hanc calamitoſamq́ uitam, nec in-
ſtabilia corporis commoda, ſed animarum, quę intellectualis ſub
ſtantiæ ſunt, à quibus etiam corporum bona, quaſi umbra, conſe
quentia dependent, ſummam propriamq́ nobis adfert felicita-
tem. Cuius quaſi caput religio eſt, non illa gentilis, falſa, & ficta,
errorisq́ plena, quæ nomen ementita eſt: ſed hæc noſtra, quę ipſa
rum rerum ueritate appellationem adinuenit. Quam animi ad
unum ſolum & uerum deum firmam ſtabilemq́ conuerſionem,
& uitam quæ mandatis eius peragatur, eſſe aſſerimus. Qua qui-
dem ex uita amicitia etiam inter deum & homines conſtituitur.
Amicitiam uero beatitudo illa ultima & feliciſſimus finis conſe-
quitur: qui à ſuperioribus dependet, inde gubernatur, ac rurſus
eò peruenturus eſt. Quid igitur hac inter deum & homines ami-
citia melius nobis atq́ beatius excogitari poteſt? Nonne uitæ, lu-
cis, ueritatis, bonorumq́ omnium ipſe fons atq́ largitor eſt? An
non ipſe, ut cuncta & ſint & uiuant, cauſam in ſeipſo complecti-
tur? Qua ergo re indigebit, qui eius amicitiam adeptus eſt? qui re
rum omnium creatorem charitate ſibi coniūxit? qui patrem atq́
tutorem illū ſibi adſcripſit? Non poſſumus profecto dicere, quin
omnia quæ ad animam, quæq́ ad corpus, quæq́ ad externa per-
tineant, optime beatiſſimeq́ is poſſideat, qui charitate proximus
deo factus, beatiſſimam eius amicitiam exacta exquiſitaq́ religio
ne conſecutus eſt. Hanc ergo ſalutarem hominum ad deum con
uerſionem atq́ amicitiam ab omnipotenti deo miſſus deus uer-
bum, quaſi lucis infinitæ ſplendor cunctis annunciat. Non hinc
aut aliunde, ſed undiq́ cunctis ex gentibus ad deum uerum Grę
cos ſimul & barbaros, omnem ſexum, omnem ætatem, diuites &
pauperes, ſapientes & contra, liberos ac ſeruos magna uoce con
uocat, hortaturq́ omni ſtudio ac cura, ut hoc donum ſuſcipia-
mus. Nam ſicuti eiuſdem naturæ atq́ ſubſtantiæ nos omnes crea
uit: ſic rurſum cognitionem & charitatem ſuam æqualiter omni-
bus propoſuit, qui gratiam eius ex toto animo complectuntur,
& colunt. Hanc dei erga nos charitatem, qui Chriſtus ipſius dei
patris uerbum eſt, ipſe quoque deus non reſpiciens ad hominum
peccata, ſed ſeipſum eis reconcilians, uniuerſo ſicut diuina excla
mat ſcriptura, orbi annunciat. Venit nanq́, ait, & annunciauit *Epheſ. 2.*
pacem illis, qui longe ſunt, & pacē illis, qui prope ſunt, quæ olim
Hebræi diuinitus docti prædicabant. Quidam enim eorum cla-

 mant: Recordabuntur, & reuertentur ad dominum omnes fines terræ, & adorabunt coram eo omnes patriæ gentium. Et rurſus: Dicite in gentibus, quia dominus regnauit: etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Alius: Conſpicuus erit dominus in ipſis, & conteret penitus deos omnes gentium terræ, adorabuntq; ipſum ſinguli ex loco ſuo. Hæc ex priſcis temporibus dicta diuinis oraculis, nunc ad nos ſaluatoris noſtri Ieſu Christi prædicatione peruenerunt. Sic prædictam olim & expectatam à ſanctis uiris omnium gentium uocationem, ueritatisq; cognitionem uerbũ dei, quod nuper de cœlo deſcendit, operaq; fecit multo ante prædicta, nobis annunciat.

Qua in re potiſsimum uerſetur controuerſia doctrinæ & religionis, quæ intercedit Chriſtianis, Iudæis, Turcis & Tartaris & Saracenis, cæteriſq; gentibus.

QVum diſcipulis Socratis & Moſis ipſos magiſtros ſubiunxerim, conſentaneum erat ſcholæ Chriſtianæ ſupremum & unicum magiſtrũ noſtrum adiungere. Sed interpellat me quæſtio digniſſima conſideratione & in primis conueniens argumento, de communi ratione linguarum & literarum, ut oſtendatur, quibus in capitibus doctrinæ & philoſophiæ, in qua religio non poſtremum locum obtinet, congruant homines tot linguis & ſectis religionum diuiſi, aut in quo poſita ſit præcipue cõtrouerſia. Quandoquidem nõ modo Chriſtiani & Iudæi & Machumedici diſcrepant in religione & doctrina, ſed etiam inter ipſos Chriſtianos eſt diſſidium ingens. Atq; in contentione ardentiſſima, qua ſuam religionem quiſq; tueri & amplificare ſtudet, cæteras uero cunctas profeſſiones opprimere, metuo paucos nouiſſe, multos etiam nunquam cogitaſſe, quid inter partes diſſentientes conueniat, & quid ſit controuerſum, & quatenus. In qua grauiſſima quæſtione ſimpliciter iudiciũ meum aperiam. Etenim quantum hactenus potui cognoſcere formam doctrinæ & cultus diuini receptam & approbatam à populis & nationibus per totũ orbem, uideo quædã principia pariter eſſe omnibus perſuaſa in genere, in ſpecie autem diſſidium aliquod uerſari. Et unum quidem caput eminere: quod ſi recte ſit informatum & perſuaſum, reliqua omnia ſua ſponte conuentura eſſe in pulcherrimam cõcordiam,

ab omnibus bonis optatam, à multis diu fruſtra quæſitam & tentatam. Primum enim, ut Chriſtiani ſic Iudæi, & Machumedis ſectatores, nec non Indi, qui diaboli cultores putantur, & feriſſimi Scythę perſuaſum & certum habent, hominem compoſitum eſſe ex corpore & anima, & animam quidem longe præſtantiorem hominis partem eſſe. Deinde credunt in morte hominem haudquaquã penitus aboleri, ſed eſſe poſt mortem hominis reliquam uitam, & locum, & conditionem, in quam tranſmigrent decedentes ex hoc mundo. Tertio credũt & profitentur eſſe ſpiritualem naturam longe præſtantiorem facultatibus, quàm ſit humana, & bonos quidem angelos diuinorum nunciorum, & beneficiorum adminiſtros eſſe ad homines: malos autem dæmones tortores, & iuſtitiæ atq; ultionis diuinę executores. Quarto credunt & confitentur unum eſſe deum uerum, æternum, ſapientiſſimum, optimum, omnipotentem. Qui creauit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ illis mundi partibus continentur: eumq; curare & regere mundum numine ſuo, & prouidere maxime hominibus. Quinto non ignorant neq; diffitentur actiones hominum eſſe iudice ipſo deo, in aliquo diſcrimine & ordine, ut aliæ cogitationes, & ſermones & facta, ſint rectę, bonę, honeſtę, laudabiles, dignęq; præmio, quas actiones deus ipſe probet ac requirat ab hominib⁹. Contrà eſſe prauas, malas, turpes, uituperabiles, ſupplicioq; dignas cogitationes, & dicta factaq; hominum: quas actiones oderit, deteſtetur, & abominetur ipſe deus optimus atq; ſanctiſſimus. Sexto agnoſcunt deum patefeciſſe omnibus ſeculis uoluntatem & iudiciũ ſuum de actionibus humanis, quas probet aut improbet, idq; tum alijs modis, tum per homines præcipue conſcios diuinæ mentis, qui etiam ſcriptis notitiam diuinæ uoluntatis, & iudiciorum, & naturæ totius hominibus aperuerunt. Septimo intelligunt diuinam uoluntatem & iuſſum obſeruandũ eſſe in publicis & priuatis rebus, & cauenda eſſe quæ pugnant cum ingenio, uoluntate, natura, & præſcriptionibus domini dei. Qui præmijs amplis & in hoc mundo, & in altero mundo, ac magis quidem, recte facta honoret: malis autem cõdigna ſupplicia inferat. Octauo conſentiunt in hoc, religionem cultumq; numinis longe eminere inter omnes actiones hominum. Vt qui deprauatus ſit in religionis & culturę diuinæ rationibus, homo nihili ſit in omnibus negotijs: qui autẽ recte inſtitutus, & compoſitus & affectus

 eſt ad religionem, eum rectius uerſaturum eſſe in omnibus nego tijs. Nono certum habent omnium ſectarum & ordinum atque profeſſionum homines, eos qui religionem ueram amplectũtur ac colunt amicos eſſe dei ſingulos, & uniuerſos conſtituereſ coetum ſanctum, populum dei peculiarem, quo delectetur ſummopere, cui conſulat, quem tueatur. Cui fauere, benefacere, ſe illi omni ſtudio adiungere, ſit rectiſſimum. Rurſum qui ueram dei religionem reſpuunt, nec audiũt diuinum præceptum per ſanctos dei ſeruos patefactum, ſed uitæ ordinem & modum ingrediũtur pijs moribus & inſtitutis contrarium, & ſingulos eſſe inimicos atq; hoſtes dei, & uniuerſos componere colluuiem & impiam factionem & conſpiratam turbam aduerſus deum. Cui deus optimus maximus infeſtus & iratus ſit, quam odiſſe, perſequi, modis omnibus opprimere ius fasq; ſit: idq; obſequium deo eſſe multo gratiſſimum. Decimo populos & nationes omnes tenet illa perſuaſio, diuinitus dari & præfici omnibus ætatibus ſupremum aliquem gubernatorem populi dei & religionis. Cui parere, ius diuinum & humanum poſtulet: eiq; obedire, ſit obedire deo conditori & gubernatori omnium. Contra uero extremis temporibus mundi fore caput impiæ & profligatæ factionis, æmulum creati à deo & legitimi rectoris, adeoq; monſtrum et portentum tetrum atque abominandum, & pręcipuam peſtem habitati orbis. Hunc antitheon hoſtem dei & populi ſancti, ueræq; religionis & iuſtitiæ & ſanctitatis Iudæi atque à Machumede inſtituti Turci, Tartari, & Saraceni uocant Gog, eiusq; furioſas tũrbas Magog. Nos à domino Ieſu Chriſto & ipſius apoſtolis ſanctiſſimis eruditi appellamus antichriſtum & pſeudochriſtum. Atque hæc decem capita religionis & doctrinæ, ſiue quis uelit appellare articulos fidei, ſiue principia philoſophiæ, & fundamenta ſapientiæ, ita ſunt cognita, recepta, probata, confeſſa omnibus ſectis Chriſtiani nominis, & Iudæis, & Machumetanis, & Indis atque Scythis, qui neq; Chriſtiani titulo, neq; Iudęi, neq; Muſulmani ſunt, & exiſtimantur ſtellas, & ſerpentes, & ſimulachra omnis animæ expertia, deniq; & diabolos pro dijs uenerari, quod non opinor, ſiquidem Indi unum deum cœli & terrę colunt, quem diatha uocant: dæmones uero, ut dei carnifices metuunt, & obſequio ſuo placare ſtudent: ut qui hoc pacto ſentit, credit, iudicat, pronunciat, ex illis perſuaſionibus res atq; rationes ſuas omnes inſtituit, & uitam

tam illis conuenientem tranſigit, habeatur pro ſapiente & probo integroq́ȝ homine, & pro catholico atq́ȝ orthodoxo. Rurſum qui diſſidet iudicio et moribus, & ſermone atq́ȝ factis, eum cenſent deſipere & multum delirare, & uel eſſe captæ mentis hominem, uel ſceleratum & nefarium, & impium, cui nulla pars reipublicæ tuto committatur, cum quo contrahere & uerſari non careat periculo & detrimento. Cæterum quid in particulis & uelut circumſtantijs capitum ſingulorum controuerſum ſit, non hoc loco nobis explicandum eſt, quia ſuſceptum argumentum de communi ratione omnium linguarum & literarum agit, non de religionibus omnium populorum & gentium. Hactenus tamen quæſtio hæc fuit attingenda, quatenus pertinet ad iudicium, quid conſtet inter omnes populos de religione & doctrina, pertinente ad uniuerſos & ſingulos. In quibus articulis doctrinæ & religionis decimus dubio procul obtinet principatum, qui habet in ſe controuerſiam nō leuem, eſtq́ȝ talis omnino, ut quibus de illo recte conuenit, nullum impedimētum ſit reliquum, quin etiam in cæteris omnibus pulchre conſentiāt & conſpirent. Quandiu autem hoc ſapientiæ & religionis caput & principium, & ſupremus articulus fidei catholicæ manet in controuerſia, ſpecies aliqua concordiæ per homines acutos ſutelis & fuco prætendi & oſtentari poteſt: nunquam tamen erit bene conferruminata & ſarcta tectaq́ȝ concordia: non erit unio fidei catholicæ, ſed pacta non pacta, & fœdera Punica. Quamobrem neceſſarium eſt ad pacem ſolidam & conſenſionem fidei, dogmatum, & cultus diuini uel cōſtituendam uel reparandam inter Chriſtianos, & ut uniuerſi populi per totum orbem degentes in ueram concordiam aliquando adducantur, ut ſit unum ouile & unus paſtor, principio diligentiſſime explicare, quis nam & qualis ſit ſummus rector populi dei & ſacroſanctæ religionis. Quo recte conſtituto cernitur iam, agnoſcitur, tenetur, imò reſpuitur, & uilipenditur, & oppugnatur legitime deo & hominibus infeſtus Gog & antichriſtus. Abſoluta erit notitia de futura conditione bonorum pariter & malorum: intelligetur exacte uera & unica religio catholica & orthodoxa: noti erunt prophetæ dei, & pſeudoprophetæ ſatanæ, quæ ſit hæreſis, aut quæ ſit orthodoxia: ubi ſchiſma ſit, aut ubi ſit Chriſtiana integritas. Illud caput oppugnarunt omnes hæretici, ad hoc caput illuſtrandum incubuerunt apoſtoli toto pectore agentes uel cum

 Iudæis uel cum gentibus. In hoc tota ſapientia cõcluditur,ut qui caput Chriſtum tenet,deum teneat & contineatur ab eccleſia catholica. Hoc unum ſe docere Paulus clariſſima uoce teſtatur,hoc unum ſe ſcire proclamat, Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. In hoc ſymbolum collocat Ioannes apoſtolus,quo probetur Chriſtianus & antichriſtianus: ſpiritus ex deo profectus, & ſpiritus contrarius. In hoc igitur ſtatu uerſatur ſancienda inter homines concordia,ut certo ſciant, Ieſum Nazarenum uirum exhibitum â deo,eſſe illum gubernatorem ſupremum & unicum religionis & eccleſiæ catholicæ per uniuerſum orbem, nec non agentis iam in cœleſtibus tabernaculis. Is docendus eſt,inſerendus animis hominum,& doceri demonſtrariq; poteſt locupletiſſimo teſtimonio & euidentiſſimis rationibus. Non uiolenter eſt obtrudendus minis,terroribus,carnificum inſtrumẽto,furialibus bellis,ceu phantaſma fictum & commentitium. Chriſtus enim lux,uia,uita,ueritas,ſapientia,uirtusq; dei, & conſubſtantialis filius efficax eſt,ut rite oblatus mentes hominum ſibi ipſe conciliet, occupet, deuinciat,moueat regatq; diuinis impulſionibus. Proinde recitabo teſtimonia quædam ex multis, & confeſſiones,& ſi quis ita uelit appellare ſymbola,dei,naturæ,angelorum,dæmonum, prauorum hominum & ſanctorum, quæ declarant Ieſum Nazarenũ filium dei uiui & Mariæ uirginis de domo Dauid eſſe Chriſtum & Meſſiam domini,ſummum ſanctiſſimumq; opt.maximũ pontificem, & regem atq; monarcham totius orbis,& ſeruatorem unicũ,unicam hoſtiam pro uniuerſis peccatis, atq; gubernatorẽ religionis et eccleſię catholicę. Cui ꝑ omnia parere eſt de neceſſitate ſalutis.

Teſtimonium dei patris,quod Ieſus Nazarenus eſt Chriſtus.

QVum ethnici quidam, qui uenerãt Hieroſolyma precationis cauſa,cuperẽt Ieſum uidere, ipſis audientibus & cætera turba, Ieſus dixit: Pater,clarifica nomen tuum. Et confeſtim uox è cœlo inſonuit: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Id ſcriptum legimus in euangelio ſecundum Ioannem cap. 12.

Dum uero baptizat â Ioanne,& orat pręſente hominũ turba, apertũ eſt cœlũ,& deſcẽdit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Et uox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus,in te mihi complacui. Luc. 3. Matth. 3. Marc. 1.

In monte quoq; ſancto uox cœleſtis edixit: Hic eſt filius meus dilectus: Ipſum audite. Luc. 9. Marc. 9. Matth. 17. Vnde Petrus apoſtolorum princeps in epiſtola 2. inquit: Non indoctas fabulas ſecuti notã fecimus uobis domini noſtri Ieſu Chriſti uirtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à deo patre honorem & gloriam, uoce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et hãc uocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

Naturæ & mundi teſtimonium.

IPſa quoq; rerum natura & mundi, ut ita loquar, facies mutata in aduentu Ieſu Chriſti, palàm confitetur eum tum aduenifſe in terras, quem oracula diuina promiſerũt moderatorem catholicæ tum eccleſiæ, tum religionis, & principem uniuerſitatis rerum. Quod quidem omnino diuinũ eſt teſtimonium, ut omnis ueritas à deo proficiſcitur: tamen illuſtrior erit ipſa ueritas per ſuas partes explicata. Non commemorabo hic, ut Auguſti temporibus Iani templum fuerit clauſum, & pax orbi reddita naſcente principe pacis, ut idem Auguſtus domini appellationem exhorruerit tanquam maledictum & opprobrium, & uetuerit etiam cognatis, ne dominum appellarent, eo uidelicet in terras ueniente, cui ſoli debetur omnis gloria, honor, poteſtas & imperium. Vt octauo Idus Ianuarias Octauius rediens ob oriente, Auguſtus cõſalutatus ſit, eiq; aſſignata monarchia totius orbis, qui dies eccleſiæ religioſus eſt propter epiphaniam domini Chriſti. Tantum attingam portenta quædam, quæ non dubiam ſignificationem præferunt aduentus Meſſiæ. Igitur Octauio primum ex Apollonia poſt necem C. Cæſaris auunculi urbem ingrediente hora circiter tertia repente liquido ac puro ſereno circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem ſolis ambijt, quaſi unum eum ac potiſſimum in hoc mundo ſolumq; clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore uenturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus mundumq; totum & feciſſet & regeret, ut Pauli Oroſij utar uerbis, quæ ponit libro 6. cap. 18.

 Poſtea temporibus eiuſdem Auguſti ſuperatis Pompeio & & Lepido, fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totū diem fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quàm in diebus Cæſaris toto regnantis orbe futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim lingua gentis, in qua & ex qua natus eſt, unctus interpretatur. Itaque quum eo tempore, quo Cæſari perpetua tribunitia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei per totum diem defluxit ſub principatu Cæſaris Romano imperio per totum diem, hoc eſt, per omne Romani tempus imperij, Chriſtum, & ex eo Chriſtianos, id eſt, unctū atq; ex eo unctos, de meritoria taberna, hoc eſt, de hoſpitali largaq; eccleſia affluenter atq; inceſſabiliter proceſſuros: reſtituendosq; per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent dominū ſuum, cæterosq; qui ſine domino inuenirentur, morti ſupplicioq; dedendos, remittendaq; ſub Cæſare debita peccatorum in ea urbe, in qua ſpontaneum fluxiſſet oleum, euidentiſſima his, qui prophetarum uoces non audiebant, ſigna in cœlo, & terra prodigia prodiderunt. Tertio autem quum urbem triumphans quintum conſul ingreſſus eſt, eo ſcilicet die, quo & Ianum poſt 200. annos primum ipſe clauſit, & clariſſimum illud Auguſti nomen adſumpſit, quid fidelius ac uerius credi, aut cognoſci poteſt, concurrentibus ad tantam manifeſtationem pace, nomine, die, quàm hunc occulto quidem geſtorum ordine ad obſequium præparationis eius prædeſtinatum fuiſſe, qui eo die, quo ille manifeſtandus mundo poſt paululum erat, & pacis ſignum prætulit, & poteſtatis nomen adſumpſit. Et ad hunc quidem modum Paulus Oroſ. diſcipulus Auguſtini portenta in monimentis Romanis perſcripta interpretatus eſt libro 6. cap. 19.

Porrò quum Ieſus Nazarenus, conceptus è ſpiritu ſancto, natus ex uirgine Maria eſſet, ſtella portentoſa excitauit magos orientis, & deduxit primitias gentiū ad Meſſiæ adorationē: clariſſime impleto uaticinio Balaami Meſopotamij uatis. Quod Moſes in libro numerorum cap. 24. poſuit: Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget uirga de Iſrael, & percutiet duces Moab, uaſtabitq; omnes filios Seth. Et erit Idumæa poſſeſſio eius: Hæreditas Seir cedet inimicis ſuis, Iſrael uero fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.

Adhæc

Ahæc in cruce moriente Chriſto Ieſu præter naturæ ordinem ſol defecit, & tenebræ obtinuerunt in orbe uniuerſo: tremuit terra: uelum templi Hieroſolymitani ſciſſum eſt: rupta ſaxa, monumentaq; aperta exhibuerunt olim ſepultos, ut rediuiui multis apparerent. Quæ res ſtupendæ nō tantum ſenſum perculerunt agentium tunc temporis in urbe Hieroſolymorū, ut populus ſpectans domini ſupplicium contunderet pectus ſuum, ut centurio diceret, Vere hic homo iuſtus erat, hic filius dei erat: ſed Plinio in Italia etiā innotuerunt, Phlegonti in Græcia, Apollophani ſocio Dionyſij Heliopoli in Aegypto: qui attonitus etiam dixit: ἀμοιβαὶ θείων πραγμάτων, hæ uiciſſitudines ſunt diuinarum rerum.

Quid quod ultimo Neronis anno quū exercitus Rom. ad delendam Iudæorum remp. eſſet miſſus duce Flauio Veſpaſiano lauretum, unde Cæſares triumphantes laureas decerpere ſoliti erant, exaruit radicitus? quod Cæſarum æde ſubinde tacta de cœlo capita omnibus ſtatuis ſimul deciderūt, Auguſtiq; ſceptrum è manibus excuſſum eſt? ut ſcribit Sueto. in Sergio Galba. Nonne oſtendūt imperiū Romanū iam defunctum eſſe munere ſuo, ut poſtquā Aſſyriū & Ebræum deleuiſſet, ipſum quoq; occideret, ut Balaā præcinuit, & percuſſa ſtatua, quam uidit Nabuchodonoſor, lapis de petra reuulſus ſine manibus impleret totum orbē, quemadmodū olim diuiniſſimus Daniel prædixerat? quo tēpore nihil uulgatius fuit apud Iudęos, q̃ inſtare tēpus Meſſię, ut Ioſephus teſtat̃. Vnde ſequaciſſimā habuerunt plebē audaciſſimi latrones, qui ſe pro Meſſijs uenditarūt.

Tametſi nihil eſt admirabilius, & quod magis impleta uaticinia de Meſſia teſtetur, quàm quod intra quadrageſimum annum à morte et reſurrectione, & aſcenſu domini in cœleſtē gloriam, per uniuerſum orbem prædicatione apoſtolorum leges, mores, conſuetudines, religiones omniū gentiū mutatæ ſunt? quod nulla potentia hominū efficere potuiſſet multis ſeculis.

Teſtimonia & ſymbola bonorum ſpirituum.

ANgelus domini Zachariæ ſacrum facienti promittit Ioannem filiū, qui cōuerſurus ſit multos filiorū Iſrael ad dominum deum ipſorum, & præceſſurus eum in ſpiritu & uirtute Eliæ, Luc. 1.

 Gabriel quoque archangelus nuncium adferens naſcituri Meſſiæ ad matrem uirginem ait: Aue gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi uocabitur. Et dabit illi dominus deus ſedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq́ & quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius dei. Lucæ 1.

Præterea nato Ieſu Nazareno, angelus domini ſtetit iuxta paſtores, & claritas dei circũfulſit illos, & timuerũt timore magno. Dixitq́ illis angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo uobis gaudiũ magnũ, quod erit omni populo. Quia natus eſt uobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate Dauid. Et hoc uobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolũtum, & poſitũ in præſepio. Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis deo, & in terra pax, hominibus εὐδοκία & propenſa uoluntas.

Confeßio dæmonum.

IN regione Geraſenorum occurrit domino ſpiritum habens immundũ, & adorauit eum. Spiritusq́ cui nomen erat legio, quod plurimi eſſent, clamans uoce magna, dixit: Quid mihi & tibi Ieſu fili dei altiſſimi? Adiuro te per deum, ne me torqueas. Luc. 8. Marc. 5. Matth. 8.

In ſynagoga uero Capernaũ homo ab immundo ſpiritu obſeſſus, docente Chriſto, exclamauit: Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? ueniſti perdere nos. Scio quod ſis ille ſanctus dei, Marc. 1. Luc. 4.

Teſtantur Porphyrius et Plutarchus à temporibus Tyberij, ſub quo uidelicet Chriſtus dominus mortem obeundo uitam mundo peperit, oracula dæmonum defeciſſe.

Teſtimonia & confeßiones hominum, qui non ex profeſſo Chriſtum ſunt amplexati.

POntius Pilatus cauſam mortis Chriſti aſſignauit ea inſcriptione, quæ palàm eum declararet Meſſiam eſſe. Neque potuit à

tuit à Iudæis furentibus ob magnificum titulũ moueri, ut ſcripturam mutaret. Quum enim Ebraicis, Græcis, & Latinis uocibus ſcripſit, Ieſus Nazarenus ille rex Iudæorum, Chriſtum & Meſſiam pronunciauit. Cuius etiam epiſtolam ad Tiberium Cæſarem Egeſippus proximus apoſtolorum temporibus è Romanorum archiuis tranſcripſit. Quæ ſic habet: Pontius Pilatus Tiberio Cæſari ſalutẽ. Nuper accidit, quod ipſe poſtea probaui, Iudæos ſe ſuorumq́ gentem crudeli pœna affeciſſe. Quum enim promiſſum eſſet patribus eorum, deum miſſurũ illis ſanctum uirum, qui eorum rex uocaretur, atq; ex uirgine naſceretur, deusq́ Ebræorum: hunc in Iudæam, me præſide, miſiſſet, uidiſſentq́ eum cæcis reddidiſſe lumen, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, dæmones ab hominibus expuliſſe, mortuos etiã ſuſcitaſſe, imperaſſe uentis, ambulaſſe ſiccis pedibus ſuper aquas maris, & ſimilia permulta: cum omnis Iudæorum plebs filium dei eſſe eum diceret, inuidia moti principes Iudæorum eum comprehenſum mihi tradiderunt: & alia ex alijs figentes, magum eſſe, & contra eorum legem agere, affirmarunt. Quod ita credens uirgis cæſum eorũ tradidi arbitrio. Illi uero & crucifixerunt eum, & cuſtodes illi adhibuerũt. Nihilominus meo milite diligenter ſepulchrũ ſeruante, tertia die ſurrexit. Vnde uſq; adeò in eum furor exarſit Iudæorum, ut tradita meis militibus pecunia uellent ab illis ſilentium eius rei redimere, & facere, ut dicerent, à diſcipulis eius ſurreptũ corpus. Quo factũ eſt, ut à milite res magis ac magis diuulgaretur. Nam & ſurrexiſſe teſtati ſunt, & pecunia ab illis redemptũ eius rei ſilentium affirmarunt. Hæc ideo ad te ſcribenda putaui, ne calumnijs Iudæorum aliter tibi perſuaderetur. Vale. Tiberius certe Chriſtum ut deum coluit in ſuo larario, & edixit colendũ eſſe. Cui decreto interceſſit ſenatus Romanus, ut Tertullianus etiã teſtatur. Vnde initium fuit calamitatum, quæ Romam inuaſerunt, donec à Gothis funditus euerteretur.

Præclarũ eſt in primis eulogium Ioſephi Iudaici ſacerdotis, quod legitur lib. 18. antiquit. Fuit eiſdem temporibus Ieſus ſapiens uir, ſi tamen uirũ eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operũ effector, & doctor hominũ eorum, qui libenter, quæ uera ſunt, audiunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accu-

 ſatione primorũ noſtrę gentis uirorum cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet, non deſeruerunt eum hi, qui ab initio dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterũ uiuus, ſecundum quod diuinitus inſpirati prophetæ uel hæc, uel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant. Sed & in hodiernum diem, Chriſtianorum, qui ab ipſo nuncupati ſunt, & nomen perſeuerat & genus.

Omitto quod in catalogo ſacerdotũ & genealogia, qui codex urbe capta Hieroſ. Tiberiadem eſt trãslatus, ſcriptum fuit ἱερεὺς ἰησοῦς ὁ ὑὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος καὶ μαρίας τῆς παρθένου hoc eſt, ſacerdos Ieſus filius dei uiuẽtis & Mariæ uirginis. Quod temporibus Iuſtiniani imperatoris Theodoſius Iudæorũ princeps teſtatus eſt. Omitto quod Epiphanius ſcribit, plurimos Iudæorũ & quidem primarios in uita quidem ob metum diſſimulaſſe, quid ſentirent de Ieſu, moriẽtes autẽ in aurẽ inſuſurraſſe amicis, Ieſum Nazarenum crucifixum à patribus ſuis eſſe Meſſiã.

Quid Machumed, & ipſius ſectatores? quàm magnifice loquuntur de Chriſto? Vt iure nos pudeat pigeatq́ nonnullorũ pluſquam ſemiarrianorum Chriſtianorũ. Et Chriſtus quidem gloriam non accipit ab hominibus. Eccleſiæ aũt non ignorare debẽt, quid hoſtes de ſuo principe Ieſu pronuncient. Negat codex authenticus Machumetanorum, quem uocãt alcoranum, Ieſum crucifixum & mortuum, & reſuſcitatum eſſe: ſed tãtum parricidis Iudæis ereptũ aſſerit, & ſubuectum in cœlum, unde uenturus ſit iudex omnium. Negat eſſe filium dei & uerũ deũ ſed rurſum tribuit ei opera, quæ nemo poteſt facere, niſi diuina uirtute: ſed tribuit ei ſupremam ueritatem, quodq́ ſit uerbum dei. Quod quid aliud eſt, quàm deum & dei filiũ etiam negãdo confiteri? Tam potẽs & inuicta eſt ueritas. In capitibus igitur Miriã Maria, & elbakara bos, & elenphal prouentus, et in alijs, confitetur Ieſum annunciatum matri ſuæ per angelum & ſanctificatum per ſpiritum ſanctum, & uirtute dei conceptũ, non operatione naturæ, genitũq́ ex ſanctiſſima uirgine, ſupra omnes mulieres munda. Et in capite elmeide, hoc eſt menſa, deus ita loquitur: O Chriſte conſidera, quem dedi tibi ſpiritum ſanctum, ut loquaris. Et rurſum: In cunabulis docui te librum, & ſapientiam, & legem Moyſi, & euangelium. Et in capite neſſe mulieres, O ſocietas libri, ne uacetis in lege ueſtra, et ne dicatis

de

de deo præter ueritatem, quod Chriſtus Ieſus filius eſt Mariæ, & apoſtolus dei, & uerbũ dei, quod in ea poſuit per ſpiritũ ſanctum. Et rurſum in cap. menſæ, in quo etiam cœnæ dominicæ facit mẽtionem licet confuſaneam, ut ſolet, ita loquitur in perſona dei: Et deſtinauimus in ueſtigijs eorum (nempe prophetarum) Ieſum filium Mariæ certiſſimum confirmatorem legis, & dedimus illi euangelium, in quo lux eſt & directio certa, ad ea quæ de lege habentur, & in directionem firmam metuentibus: ut iudicet gens euangelij de eo, quod immiſit deus in ipſo. Et qui non iudicant ſecundũ quod miſit deus in eo euangelio, ſunt iniqui. Eſt etiam uaticinium celebre inter Mahumetanos de imperio ipſorum occaſuro per gladium Chriſtianũ. Quod uehementer exhorreſcunt tam uiri, quàm fœminæ, uerum ſine iuſta cauſa, meo iudicio. Vnde unde eñ ille ſpiritus fuerit, qui uaticinatus eſt poſt occupatum aureum malum, hoc eſt, ſedem quõdam imperij Romani, poſt multas calamitates Chriſtianis illatas à Machumedicis, gladium Chriſtianũ longe lateꝗ; peruagaturum eſſe per ipſorũ imperium, exiſtimo illud cõgruere oraculo, quod per Ioannem edidit Chriſtus in ſua reuelatione 10. cap. Chriſtũ poſt apoſtaſiam horrendamꝗ; deformationem eccleſiæ, ſub finem mundi, rurſum occupaturũ inſulas & continẽtes partes mundi: quod perficietur gladio uere Chriſtiano, quod uerbum dei eſt: ut Ioannes, ut Paulus, ut Petrus, ut apoſtoli & prophetæ, quorum ſcripta ſunt reliqua, iterum prophetent gentibus & populis & linguis, & regibus multis. Apponam igitur prognoma illud lingua Perſica, uerũ Latine interpretatum à Barthol. Georgieuitz.

Præſagiũ Turcicũ.

Patiſſa homoz ghelur: Cſiapherum memleketi
Imperator noſter ueniet gentilium regnum

alur: keuzul almai alur: kapzeiler iedi
capiet rubrum malum capiet ſubiugabit ſeptem

yladegh gyaur keleci cſikmaſſi on iki
uſq; ad annos ethnicorũ gladius ſi nõ inſurrexerit, duodecim

yladegh onlarum beghligheder: euwi iapar
uſq; ad annos eorum dominabitur domum ædificabit

baghi	diker:	bahcſai	baghlar:	ogli
uineam	*plantabit*	*hortos*	*ſepe muniet*	*filium*

kezi	olur:	on iki	yl denſſora
& filiam	*habebit*	*duodecim*	*poſt annos*

hiriſtianon	keleci	cſikar	ol	Turki	ghereſſine
Chriſtianorum	*gladius*	*inſurget*	*qui*	*Turcam*	*retrorſum*

tuſkure.
profligabit.

Teſtimonia & confeſsiones eccleſiarum & ſingulorum hominum.

IN ſymbolo, quod in eccleſia Romana reddebant olim populo fidelium audiente, ſuſcepturi gratiam baptiſmi, ut Rufinus teſtatur in expoſitione ſymboli, ſic habetur: Credo in Ieſum Chriſtum filium dei unigenitum: qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria uirgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Deſcendit ad inferos: Tertia die reſurrexit à mortuis: Aſcendit ad cœlos: ſedet ad dexteram dei patris omnipotentis: inde uenturus iudicare uiuos & mortuos.

Nihil diuerſum habet ſymbolum Damaſi Romani pontificis: ſed tantum fuſius explicat omnia.

Marcellus epiſcopus Angyritanus, qui Nicenæ ſynodo interfuit, ſuam & eccleſiæ ſuæ adeoq; Græcarum eccleſiarum fidem exponẽs ſummatim apud Iulium epiſcopum Romanum, eam profitetur acceptam ex diuinis ſcripturis, & traditam à maioribus. Quæ nihil diſcrepat à Latina profeſſione. *πιστεύω εἰς θεὸν παντοκράτορα. καὶ εἰς χριστὸν ἰησοῦν τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ μαρίας τῆς παρθένου: τὸν ἐπὶ ποντίου πιλάτου σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν: ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός. ὅθεν ἔρχεται κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς.*

Nihil omnino diſſidet Epiphanij epiſcopi Cyprij ſymbolum: cuius doctrina patriarchæ Conſtantinopolitano, & alijs tum epiſcopis tum eccleſijs probata fuit.

Athanaſius Alexandrinus epiſcopus, & fortiſſima columna in domo dei, profeſſionem & ſymbolum ad hunc modum orditur:

orditur: Quicunq; uult ſeruari, eum oportet ante omnia tenere
fidem catholicam. Et poſt explicationem trinitatis in una diui na eſſentia & natura, de Chriſto ſic teſtimonium ſuum & eccleſiæ Alexandrinæ reddit: Porrò neceſſarium eſt ad ſalutẽ æternam, ut incarnationem ἐνσάρκωσιν noſtri domini Ieſu Chriſti etiam recte credas. Eſt enim recta fides, ut credamus, & confiteamur, quod noſter dominus Ieſus Chriſtus filius dei, et deus & homo ſit. Deus quidem ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus γεννηθεὶς, homo autem τεχθεὶς prognatus ex ſubſtantia matris in hoc ſeculo. Perfectus deus, & perfectus homo conſtans anima rationali & carne humana. Aequalis patri diuinitate, minor patre humanitate. Qui etſi deus & homo exiſtit, non tamen duo, ſed unus eſt Chriſtus: unus autem non conuerſione deitatis in carnem, ſed adſumptione humanitatis in deũ. Vnus omnino non confuſione ſubſtãtiæ, οὐσίας, ſed unione ὑποστάσεως perſonę. Etenim ut anima rationalis et caro unus homo eſt, ita etiam θεάνθρωπος homo deus unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt ob noſtram ſalutem: deſcendit ad inferos ἐν ᾅδου. Tertia die reſurrexit à mortuis. Aſcendit in cœlos: Sedet ἐκ δεξιῶν, à dextris patris & dei omnipotentis. Vnde ueniet iudicatum uiuentes & mortuos. Cuius aduentu παρουσίᾳ omnes homines reſurgent cum ſuis corporibus, reddentq; rationẽ ἀπολογίαν ἐξ ἰδίων ἔργων de ſuis actis. Et alij quidem qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam, alij uero qui praua, in ignem æternum.

Porrò eccleſiæ tot regnorum ſub precioſo Ioanne potentiſſimo principe Indorum & Aethiopũ rebus ipſis ne latum quidem pilum diſcrepant ab hac profeſſione, ut eccleſiæ Alexandrinę membra: tantumq; particulas quaſdam apertius enucleant, ut ita dicam.

Audiendum eſt igitur etiam nunc teſtimoniũ eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Ingredienti enim Chriſto urbem Hieroſolymorum, ut ſalutis negotiũ perficeret, ac aſina quidem uecto, ſicut propheta Zacharias præcinuerat, turba ingens puerorũ & totius populi obuiã occurrẽs, omnẽ honorẽ ut ſuo principi exhibuit, & uocibus fauſtiſſimis acclamauit: Benedictus qui uenit rex in nomine domini: Pax in cœlo, & gloria in excelſis. O ſanna fili Dauid. Benedictum quod uenit regnũ patris noſtri Dauid, ut Matth. Mar. Lucas in hiſtoria euangelica memorant.

 Et poſt mortem ac reſurrectionem domini Chriſti aucta eccleſia, ut aliquot iam millia hominum haberet, unanimiter ad deum uocē eleuans, dixit, Domine deus qui feciſti cœlū & terram, mare, & omnia quę in eis ſunt, qui ſpiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerūt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unū aduerſus dominū, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerūt enim uere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerū παῖδα tuū Ieſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cū gētibus & populis Iſrael facere, quæ manus tua & conſiliū tuū decreuerūt fieri. Quæ legimus actorum 4. cap.

Eccleſiæ Hieroſolymitanę, cui per omnia cōuenit cū eccleſia Antiochena, in qua primum diſcipuli & ſectatores Ieſu Nazareni, Chriſtiani appellati ſunt, ornatiſſima filia fuit Eliſabeth cognata uirginis deiparæ. Eius hæc eſt profeſſio, ut Lucas refert 1. capite euāgelicæ hiſtoriæ. Nam ad Marię grauidæ aduentum repleta ſpiritu exclamat: Vnde hoc mihi, ut ueniat mater domini ad me? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Beata, quæ credidiſti: quoniā perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à domino. Ad quæ uirgo mater domini: Magnificat anima mea dominū. Et in fine ſacratiſſimi hymni: Suſcepit Iſrael puerum ſuum, memorari miſericordiæ ſuæ: Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſecula.

Zacharias quoq; nato ſibi filio Ioanne præcurſore & prænuncio domini repletus ſpiritu ſancto, Benedictus, inquit, dominus deus Iſrael, quia uiſitauit nos, & fecit redemptionē plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui, ſicut locutus eſt per os ſanctorum prophetarū à ſeculo. Et quæ ſequuntur cap. 1. euangelij ſecundum Lucam.

Quūq; puer Ieſus ſiſteretur domino ex præſcripto legis, Symeon iuſtus & religioſus, expectans cōſolationē Iſrael, in quo fuit ſpiritus ſanctus, à quo etiam oraculū accepit, nō uiſurum mortem, niſi prius uideret Chriſtū domini. Is in ſpiritu uenit in templum, puerumq; à parentibus allatum accipiens in ulnas, benedixit domino ad hunc modum: Nunc dimittis ſeruum tuum domine ſecundum uerbū tuum in pace. Quia uiderunt

oculi

oculi mei ſalutare tuum. Et quæ ſequūtur. Nam mox reddam
confeſſionem ſanctiſſimi uiri aliquot in linguis. Atq; ad Mariam matrem conuerſus, inquit: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Talia eodem tempore diſſeruit Anna prophetiſſa, ut legimus 2. cap. in euangelio ſecundum Lucam.

Talia, tam uaria, tam locupletia, tam irrefragabilia teſtimonia extant: quæ aſſerunt Ieſum Nazarenum eſſe illum Meſſiam domini, uerum deum, uerumq; hominem, regem regum, & dominum dominantium, ἀρχιερέα ſecundum ordinem Melchiſedec, pontificemq; ſummum, optimum, maximum, ſanctiſſimum, æternum, fundamentum & caput unicum eccleſiæ catholicæ. Qui non mortuus eſt, ſed uiuit deo, & amplius neq; moritur neque crucifigitur. Qui non dormit, ſed uigilat, & intentus curat eccleſiam, ſuum gregem, ſuam ſponſam, ſuum corpus. Non exutus depoſitusq; eſt à regno & pontificatu æterno: ſed qui creauit eum regem & pontificem ſuper montem Zion deus, dixit: Tu es ſacerdos in æternum. Et imperium eius eſt ſuper humerum eius. Nec ſuffecit, nec nominauit, nec deſignauit, nec petijt ullum uicariū. Neq; uniuerſi homines omnes ſuas uirtutes in unū cumulū exaggerantes poſſent umbram aliquam Meſſiæ conficere. Nullum igitur uicarium habet uel Chriſtus uel deus pater Chriſti, qui filio unigenito ſoli dedit omne iudicium, & omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Viuit igitur Chriſtus: uincit Chriſtus: uirtutes operatur in membrorum ſuorum extrema infirmitate Chriſtus: regnat Chriſtus: imperat Chriſtus: ſummum pontificatum gerit ſolus Chriſtus, ſolus gratiam, & ueniam peccatorum, ſolus ueram ſapientiam, ſolus uitam, ſolus regnum cœlorum largitur cupientibus, idq; gratuito.

Exhauriant ergo ſuum ingeniū & linguam, & chartas cum atramento, & loculos, & armamentaria, & pectus, & ſcrinia, & bibliothecas uniuerſas quidam papiſticæ dominationis defenſores. Adferant male tornatas interpretationes ſcripturarum, proferant & exornent fuco lenocinioq; uerborum confictas tabulas donationum. Nunquā tamen dijs aduerſis & in-

 feſtis efficient, ut Chriſtus non ſit unus gubernator eccleſiæ catholicæ in cœlo & in terra, & ſacroſanctæ religionis hodieq; & in ſecula ſeculorum.

Doctrina Chriſtiana ueriſſimaq; philoſophia.

EST igitur abſoluendũ, quod prius inchoaram oſtendere ex ſcholæ Chriſti inſtitutis ueram & unicam ſapientiam. Itaq; breuiter unici magiſtri noſtri doctrinã hoc loco perſtringam. Is enim coram Pilato bonam confeſſionem edidit, ut ait apoſtolus, affirmando ſe eſſe illum promiſſum & expectatũ Meſſiam. Idem fecit in domo pontificis Annæ, in conſeſſu procerum Iudaicorum. Et Petro nomine omnium diſcipulorũ reſpondente ad interrogata Chriſti, quis nam ſit, hoc modo; Tu es ille Chriſtus filius dei uiui: dixit, Beatus es Symon bar Iona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt. Et tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Nec portæ inferorum præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum; ut quodcunq; ligaueris ſuper terram, ligatum ſit in cœlis; & quodcunq; ſolueris ſuper terram, ſolutum ſit in cœlis.

Finẽ autem ſummũq; bonum hominibus propoſitum uarie appellat, beatitudinem, uitam, uitam æternam, regnum dei, regnum cœlorum, nuptias, conuiuium, & alijs nominibus. Quid autem ſit uera beatitudo non obſcuris aut ambiguis uerbis docet, nimirum ut ubi eſt Chriſtus, ibi ſint etiam ſerui et cultores Chriſti, Chriſtus autem eſt in cœlis, in dextera dei patris, in æterna gloria & diuina felicitate. Quæ conditio & ſors propoſita eſt uere Chriſtianis. Ioan. 12. Quo pertinet, quod fidem habentes Chriſto ſolidam, fratres, & cohæredes illius, eiq; ſimiles & filij dei dicuntur.

Qua ratione autem & uia modoq; attingere poſſint homines ad beatiſſimum finem, idipſum quoq; apertiſſime docuit. Ego, inquit, lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris nõ maneat. Ioan. 12. Item ibidem: Qui uidet me, uidet eum, qui miſit me. Et Ioan. 14. Nemo uenit ad patrem, niſi per me. Ego enim ſum uia, ueritas, & uita. Et Ioannis 3. Nicodemo ſciſcitanti uiam ſalutis dicit; Niſi quis natus fuerit denuo,

rit denuo, nõ poteſt uidere regnum dei. Et mox: Amen
amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Et paulò poſt: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlis. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat, uitam æternam. Non enim miſit deus filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomẽ unigeniti filij dei. Hoc autem iudicium eſt, quia lux uenit in mundum, homineſq; dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Opera enim eorum mala erant. Porrò omnis qui male agit, odit lucem, et non uenit ad lucem, ut non arguantur ipſius opera. Nec aliam ſalutis uiam docuit in ſchola Capernaitica. Ioan. 6. quum inquit:

Amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Ego ſum panis uitæ. Patres ueſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mũdi uita. Et mox: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis uitam in uobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Et alia, quæ ſequuntur in eandem ſententiam.

Eam quoq; rationem & uiam & modum ſalutis & beatitudinis conſequendę Chriſtus ſeruator propoſuit in ſacratiſſima cœna, & non aliam. Quod inſtitutum ſummi noſtri pontificis euangeliſtæ omnes memorant, copioſiſſime uero Ioannes à principio capitis decimitertij uſque ad decimumoctauũ. Nam quum ſub cœnam ediſſeruiſſet uniuerſa myſteria regni dei, & agnum pro ueteris eccleſię ritu cũ diſcipulis ediſſet, accepit panem, & gratias egit, ac benedixit, deditq; diſcipulis cum eiuſ-

modi uerbis: Accipite & comedite: Hoc eſt meũ corpus, quod pro uobis datur ac frangitur. Hoc facite ad mei memoriam. Similiter etiam calyce accepto gratias egit, ac dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic enim eſt meus ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, utq; Lucas ſcribit: Hoc poculum, nouum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro uobis effundetur. Et quod Paulus addit: Hoc facite, quotieſcũq; bibetis, in mei memoriã. Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calycem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec ueniat. Hunc ritum eccleſiæ catholicæ tradidit ſummus ſanctiſſimusq; & æternus pontifex Ieſus Chriſtus. Hunc Paulus & cæteri apoſtoli religioſiſſime ſeruarunt, & tradiderunt eccleſijs. Hũc mutare ſummum eſto piaculum.

Vtque agno paſchatis dominus Chriſtus ſurrogauit cœnam myſticam, in qua de menſa domini ſymbola corporis & ſanguinis ipſius panis atq; uinum diſtribuuntur: ita circunciſioni ſacrum baptiſma ſurrogauit, & aquas luſtrales non cinere uaccæ conſecratas, ſed morte filij dei, & uirtute ſpiritus ſancti. Quem ritum hiſce uerbis dominus iamiam aſcendens in cœlos mandauit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui uobis. Et ecce uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Matthæi ultimo capite.

Porrò de hominis officio planiſſimam atque ſimpliciſſimam doctrinam Chriſtus exhibuit. Iuſſit enim diſcipulos ſuos ipſum magiſtrum imitari, & ut uiderunt eum agere ex mandato patris cœleſtis, ita illis quoque præcepit, ut agant omnia. Nec non patrem cœleſtem iubet æmulari, ut ſicut ipſe eſt ſanctiſſimus, ita homines colant ſanctimoniam: ut benefacit omnibus, ita ſtudeant beneficentiæ. Quumq; Chriſtus declarauerit ſummam charitatem tradendo ſeſe in mortis cruciatus pro mundi ſalute, paterq; cœleſtis in filio exhibito declarauerit indicibilem amorem, & deus nihil ſit, quàm mera charitas, in uno uerbo mutuæ charitatis concluſit omne officium Chriſtiani hominis. Atque ad illud caput & apicem legum coniun

git uniuerſam doctrinam Moſis & prophetarum: quæ ſum-
matim in concione diuina continetur: quam ipſe quoque dominus Chriſtus, ut ſuam agnoſcit & in monte concionans planiſſime interpretatus eſt. Qui diuiniſſimus Chriſti ſermo refertur à Matthæo capite quinto, ſexto, ſeptimo. In quo etiã proponitur formula precandi & uniuerſa bona quærendi in deo, perenni & inexhauſto omnium bonorum theſauro. Itaque ſi aliquot linguarum uerbis diuinam concionem à Moſe perſcriptam, & ſymbolum ueteris, & nouæ eccleſiæ, nec non formulam precandi à Chriſto traditam exhibuero, ueram, cœleſtem & unicam ſapientiam, omnibusq́ populis & gentibus neceſſariam ad ſalutem æternam, exhibuero philoſophiam.

CONCIO DIVINAE MAIESTATIS, QVAM beatus Moſes perſcripſit exodi cap. 20. & deuteronomij quinto capite.

	EBRAICA	DEVT. 5.	CHALDAICA	GRAECA	LATINA
Tabulę prioris 4. cap. Cap. 1.	Anochi		Ana	ego	ego
	Ichoua		Ichoua	kyrios	dominus
	ăloheicha		ălahach	ho theos ſou	deus tuus
	aſchĕr		di	hostis	qui
	hotzethicha		aphikthach	exegagon ſe	eduxi te
	meăărătz		mearea	ek ges	de terra
	Mitzraim		demitzraim	Aegyptou	Aegypti
	mibbbeith		mibeith	ex œkou	de domo
	abadim:		abduha:	doulon.	ſeruorum.
	Lo		la	ouk	non
	ijheiăh		iăhăuei	eſontai	erunt
	lecha		lach	ſoi	tibi
	ălohim		ălaha	theoi	dij
	ahherim		ohharan	heteroi	alieni
	al		bar	plen	coram
	panai		minni	emou	me
Cap. 2.	Lo		la	ou	non
	thaaſăh		thaebed	poieſeis	facies
	lecha		lach	heautô	tibi
	pheſel		tzălăm	eidolon	ſculptile
	ue chal	Cal	ue chal	oude pantos	neq; omnem
	themunah		demuth	homoioma	ſimilitudinem
	aſchăr		di	hoſa	quæ
	baſſchamaim		biſchmaia	en to ouranô	in cœlo
	mimmaal		mile eïla	ano	deſuper
	uaaaſchăr		uedi	kai hoſa	& quæ
	baarătz		bearea	en te ge	in terra
	mitthahhath		millra	kato	deorſum
	uaaſchăr		uedi	kai hoſa	nec quæ
	bbamaim		bemaia	en tois hydaſi	in aquis
	mitthahhath		millra	hypo kato	ſub
	laarătz:		learea	tes ges	terra
	lo		la	ou	non
	thiſchtthahhauăh		thiſggod	proskyneſeis	adorabis
	lahem		lehon	autois	ea
	uelo		uela	oude me	neque
	thaabdem		thiplehhinnun	latreuſeis autois	coles ea
	Ci		arei	gar	quia
	anochi		ana	ego	ego
	ichoua		ichoua	kyrios	dominus

Lo-

EBRAICA	Deut.	CHALDAICA	GRAECA	LATINA	
ālohāicha		ālahach	ho theos ſou	deus tuus	
el		el	theos	fortis	
kanna		kanna	zelotes	zelotes	
poked		maſſear	episkepton	uiſitans	
auon		hhobei	hamartian	iniquitatem	
aboth		abahan	pateron	patrum	
al		al	epi	in	
bbaním		bbenin moradin	tekna	filios	
al	ueal	al ddar	epi genean	in generationem	
ſchilleſchīm		thelithai	triten	tertiam	
ueal		ueal dar	kai	&	
ribbeim		rebiai	tetarten	quartam	
leſoneai:		leſaneai *	tois miſouſi me	corū q oderūt me	* Addūtur
ueoſāh		ue abid	kai poion	& faciens	in Chaldai
hhāſād		tibu	eleos	miſericordiam	co thrag.
laalaphim		lealphei darin	eis chiliadas	in millia	uerba huius ſenten-
leohabai		lerahhamai	tois agapoſi me	his q diligunt me	tiæ: quan-
ulſchomrei		ulnatrei	kai tois phylaſſuſi	& cuſtodiunt	do filij ſe-
mitzuothai		phikudai	ta proſtagmata mou	præcepta mea	quūtur peccata patrū.
Lo		la	ou	non	
thiſſah		thimei	lepſe	aſſumes	Cap. 3.
āth ſchem		biſchma	to onoma	nomen	
iehoua		daiehoua	kyriou	domini	
ālohāicha		ālahach	tou theou ſou	dei tui	
laſſchaue		lemaggaba	epimataio	in uanum	
Ci		arei	ou gar	nam	
lo		la	ou me	non	
ienakkāh		iezacei	katharisei	habebit innocētē	
iehoua		iehoua	kyrios	dominus	
āth aſchār		iath	ton	eum	
ijſſa		ddeijmei	lambanonta	qui aſſumpſerit	
āth ſchmo		biſchmeih	to onoma autou	nomen eius	
laſſchaue:		leſchikra:	epimataio.	fruſtra.	
Zachor	ſchamor	hāui dechir	Mneſtheti	Memento	Cap. 4.
āth iom	Additur	iath ioma	ten hemeran	diem	
haſſchabbath	caaſchār	deſchabbtha	ton ſabbaton	ſabbathi	
lekaddſcho	tziſcha	lekaddaſchutheih:	hagiazein auten	ut ſanctifices.	
ſcheſchāth	iehoua	ſchitha	hex	ſex	
iamim	ālohāicha	iomin	hemeras	diebus	
tthaabod		tthiphlahh	erga	operaberis	
ueaſitha		uetha ebbed	kai poieſeis	& facies	
cal		cal	panta	omnia	
melachtthā:ha		ibidetthach	ta erga ſou.	opera tua.	
ueiom		ueioma	tede hemera	die autem	
haſſchbij		ſchebiaah	hebdome	ſeptimo	

	EBRAICA		CHALDAIC.	GRAECA	LATINA
	ſchabbath		ſchabbtha	ſabbata	ſabbatum
	laiehoua		kadamiehoua	kyrio	domini
	älohäicha		älahach	to theo ſou	dei tui.
	lo		la	ou	non
	thaaſäh		thaebbeid	poieſeis	facies
	chal	cal	cal	pan	omne
In Gręca et	melacha		ibidettha	ergon †	opus
Lat. additur, in ea.	attha		ath	ſy	tu
	ubincha		ubrach	kai hyios ſou	& filius tuus
	ubitthcha	ubitthächa	ubratthach	kai he thygater ſou	& filia tua
	abdecha	ueabdecha	abddach	ho pais ſou	ſeruus tuus
	uaamathcha	ueamathächa	ueamthach	kai he paidiſce ſou	& ancilla tua
† Bos tuus et pecus tu	ubehämtthecha	additur	ubeirach	kai to hypozygion ſou †	& iumētū tuū
um in Gręc.	uegercha	ueſchorcha	uegiorach	kai ho proſelytos	& aduena tuus
	aſchär	uahhamorcha	di	ho paroekon	qui
† en ſoi, in	biſchearäicha	uechal	bekiruach:	† en pylais ſou.	intra portas tuas
te, Græc. LXX.	ci	behämtthächa	arei	gar	enim
	ſcheſchäth	Aliter in	ſchittha	hex	ſex
	iamim	Deuter.	iomin	hemerais	diebus
	aſah	lemaan	abad	epoieſe	fecit
	iehoua	ianuahh	iehoua	kyrios	dominus
	äth haſſchamaim	abdächa	iath ſchemaia	ton ouranon	cœlum
	ueäth	uaamathcha	ueiath	kai ten	&
	haarätz	camocha: ue-	area	gen	terram
	äth haiam	zachartha ci	iath iamma	ten thalaſſan	mare
	ueäth	äbäd haitha be	ueiath	kai	&
	cal	arätz Mizraim	cal	panta	omnia
	aſchär	uaiotziacha ie	di	ta	quæ
	bam	houa älohäicha	behon	en autois	in eis
	uaianahh	miſſcham bei-	uenahh	kai katepauſen	& requieuit
	bbaiom	ad hhazakah	beioma	te hemera	in die
	haſſchbij	ubizeroa netui-	ſchebiaah	te hebdome	ſeptimo.
	al	ah al cen tziſcha	al	dia	Idcirco
	cen	iehoua älohäicha	cen	touto	
	berach	laaſoth äth iom	bbarich	eulogeſe	benedixit
	iehoua	haſſchabbath	iehoua	kyrios	dominus
	äth iom		iath ioma	ten hemeran	diei
	haſſchabbath		de ſchabbtha	hebdomen	ſabbati
	uaiekaddſchehu:		uakaddſcheih:	kai hegiaſen auten.	& ſanctificauit
Tabulæ al	Cabbed		Iakker	Tima	Honora (cū.
terius capi ta ſex.	äth		iath	ton	
Cap. 5.	abicha		abuch	patera ſou	patrem tuum
† Bene ti-	ueäh	Additur	ueiath	kai ten	&
bi ſit lxx.	immächa	caaſchär	immach	metera ſou	matrem tuam
addiderūt.	lemaan	tziſcha	bbedil	hina †	ut

EBRAICA	Deut.	CHALDAIC.	GRAECA	LATINA	
iaarichun	iehoua	deiorchun	makrochronios	ſis longæuus	
iamäicha	ălohäicha	iomach	gene		
al	iaarichũn	al	epi	ſuper	
haadamah	Additur	area	tes ges †	terram	† Bona. LXX. addiderũt.
aſchär	ulemaan		hes	quam	
iehoua	ijtab	daiehoua	kyrios	dominus	
ălohäicha	lecha	ălahach	ho theos ſou	deus tuus	
nothen		iaheb	didoſi	dabit	
lach:		lach:	ſoi.	tibi.	
Lo		La	ou	Non	Cap.6.
tthirtzahh:		thiktol napheſch:	phoneuſeis.	occides	
Lo	uelo	La	ou	Non	Cap.7.
tthineaph:		theguph:	moicheuſeis.	mœchaberis.	
Lo	uelo	La	ou	Non	Cap.8.
tthignob:		thignub:	klepſeis.	furtum facies.	
Lo	uelo	La	ou	Non	Cap.9.
thaanäh		thaſehid	pſeudomartyreſeis	loquaris	
bereacha		behhabrach	kata tou pleſiõ ſou	cõtra ,pximũ tuũ	
ed		ſahadutha	matyrian	teſtimonium	
ſchakär:	ſchaue	deſchakra:	pſeude.	falſum	
Lo	uelo	La	ouk	Non	Cap.10.
thahhemod	Ordo mu=	thahhamid	epithymeſeis	concupiſces	
bbeith	tatus nõni	bbeith	ten oikian	domum	
reăcha	hil & uer=	hhabrach †	tou pleſion ſou	proximi tui,	† In Græc. nõnihil per turbata eſt interpret.
Lo	ba.uelo thahhe=	La	ouk	Nec	
thahhemod	mod eſchäth	thahhamid	epithymeſeis	deſiderabis	
eſchäth	reăcha uelo	itthath	ten gynaika	uxorem	
reăcha	thitheaſäh	hhabrach	tou pleſionſou	proximi tui	
ueabbdo	bbeith reă=	ueabddeih	kai paida autou	& ſeruum eius	
ueamatho	cha ſadehu	ueamtheih	kai paidiskẽ autou	& ancillam eius	
ueſchoro	ueabdo ue=	uethoreih	kai boun autou	& bouem eius	
uehhamaro	amatho ſcho	uahhamareih	kai hypozygiõ autou	& aſinum eius	
uechol	ro uahhamoro	uechol	kai hoſa	& omnia	
aſchär		di		quæ ſunt	
lereăcha:		lehhabrach:	tou pleſiou ſou.	proximi tui.	

SYMBOLVM ET CONFESSIO SYMEO- nis iuſti adeoq́ eccleſiæ Iſraëliticæ, quæ Meſſiam recepit.

GRAECA	LATINA	AETHIOPICA	EBRAICA	CHALDAICA
Nyn	Nunc	Ioze	Anhah	Chean
apolyeis	dimittis	toshoro	meſchalleahh	meſchallahh
ton				
doulon ſou	ſeruũ tuũ	lagaborcha	abddecha	abddach

deſpota	domine	ogozio	adonai	mara
kata	ſecundum	bacham	c	heich
to				
rhema ſou	uerbũ tuũ	azazocha	cidbarcha	dabbaraiach
en	in			
eirene	pace	baſalam	beſchalom	biſchlamah
hoti	quia	aſama	ci	arei
eidon	uiderunt	roia	rau	hhamun
hoi				
ophthalmoi mou	oculi mei	aoinotoia	einai	enaü
to				
ſoterion ſou,	ſalutare tuũ	ahnotocha	ieſchuathcha	purkanach
ho	quod		aſchär	di
hetoimaſas	paraſti	zaaſtadalocha	chonantthalt	athkintha
kata	ante	kodom	liphnei	kadam
proſopon	faciem			
panton	omnium	chulu	chol	cal
ton laon:	populorũ:	hozobocha	ammim	amamaia
phos	lumen	cham	or	nehor
eis	in			
apocalypſin	reuelationẽ	tochaſto borhan	lehiggaloth	leithgelaah
ethnon	gentium	laahozbo	goim	ummaija
kai	&			
doxan	gloriam	uachobra	uecabod	uaiekar
laou ſou	populi tui	lahozabocha	amcha	amamach
Iſrael.	Iſrael.	Oſrael	Iſrael	Iſrael

tholica nota fidelibus & ad ſalutem neceſſaria, ut inquit Auguſtinus. Itaque recitabo ſymbolum quod apoſtolorum & Romanum appellatur, & Nicenum, quod ſanctiſſima ſynodus CCCXVIII. patrum publicauit. Idq; ex Epiphanio & Theodorito Græce perſcribam: & interpretabor Latine, ut uerbum uerbo reſpondeat. In quo ſymbolo cernitur magnus conſenſus religionis & doctrinæ inter eccleſias Latinas & Græcas, quæ uere Chriſti ſunt.

GERMAN.	ILLYR.	LATINA	GRAECA	LATINA	
Ich gloub	Viruy	Credo	Piſteuomen	Credimus	Capita & articuli
in	u	in	eis	in	XII.
			hena	unum	Cap. 1.
got	bozi	deum	theon	deum	
fater	uoteczu	patrem	patera	patrem	
den allmächtigen	emoghucič	omnipotentem	pantocratora	omnipotentem	
ſchöpffer	ſtuoriteliu	creatorem	poieten	factorem	
himmels	neba	cœli	ouranou te	cœli	
vnd erden	i zemlie	& terræ	kai ges	& terræ	
vnd in	i uf	& in	kai eis	& in	Cap. 2.
			hena	unum	
			kyrion	dominum	
Ieſum	Ieſuſſa	Ieſum	Ieſoun	Ieſum	
Chriſtum	Kriſtuſſa	Chriſtum	Chriſton	Chriſtum	
ſon c	tſina	filium	ton hyion	filium	
ſinen a	nyegoua	eius	tou theou	dei	
einigen b	iedinoga	unicum	ton monoge	unigenitum	
herren e	gotſpodina	dominum	to ek ton	ex	
vnſern. d	naſſega	noſtrum	patros	patre	
			gennethenta	natum	
			pro	ante	
			panton	omnia	
			ton aionon	ſecula	
			touteſti	hoc eſt,	
			ek tes	ex	
			ouſias	ſubſtantia	
			tou patros	patris	
			phos	lumen	
			ek photos	de lumine	
			theon	deum	
			alethinon	uerum	
			ek theou	de deo	
			alethinou	uero	
			gennethenta	genitum	
			ou poiethenta	non factum	

				homouſion	conſubſtantialem
				to patri	patri
				di hou	per quem
				ta panta	omnia
				egeneto	facta ſunt
				ta te	& quæ
				en tois	in
				ouranois	cœlis
				kai ta	& quæ
Cap.3.				en te ge	in terra
				Ton di'	Qui propter
				hemas	nos
				tous anthropus	homines
				kai dia	& propter
				ten hemeteran	noſtram
				ſoterian	ſalutem
				katelthonta	deſcendit
				ek ton	de
				ouranon	cœlis
				kai	&
	der empfāgē iſt	ky ſeye pokſel	qui cōceptus eſt	ſarkothenta	incarnatus eſt
	vomm geiſt b	od dulia	de ſpiritu	ek pneumatos	ex ſpiritu
	heiligen a	ſueta	ſancto	hagiou	ſancto
	geboren iſt	porodil ſye	natus	kai Marias	& Maria
	vß Maria	od Marie	ex Maria	tes parthenou	uirgine
	der iungfrowen	diue	uirgine	kai	&
				enanthropeſanta	homo factus
Cap.4.	der gelittē hätt	mut ſen	paſſus	ſtaurothenta	crucifixusq́;
	vnder Pontio	pod pōtziuſsē	ſub Pontio	te hyper	pro
	Pilato	Pilatuſſem	Pilato	hemon	nobis
	gecrützigt	razpeth	crucifixus	epi	ſub
	gſtorben	umerl	mortuus	Pontiou	Pontio
				Pilatou	Pilato
				kai pathonta	paſſus
	vnd ſergraben	i pokopan ieſt	& ſepultus	kai taphenta	& ſepultus eſt
	iſt abgſtigen	ſtupi	deſcendit		
	zunn hellen	na pakal	ad inferos		
Cap.5.	iſt vfferſtanden	uſtal	reſurrexit	kai anaſtanta	& reſurrexit
	amm dritten	treti	tertia	te trite	tertia
	tag	dan	die	hemera	die
	ſonn todten	izmartuih	à mortuis	kata	ſecundum
				tas graphas	ſcripturas
				kai	&
Cap.6.	iſt vffgſaren	zaſtupi	aſcendit	anelthonta	aſcendit
	zů	na	ad	eis tous	in

GERMAN.	ILLYR.	LATINA	GRAECA	LATINA	
den himmlen	nebeſa	cœlos	ouranous	cœlos	
			kai	&	
ſitzt	tſidi	ſedet	kathezomenon	ſedet	
zur gerechten	na deſnicze	ad dextram	ek dexiou	à dextris	
got des fatters	boga otza	dei patris	tou patros	patris	
des allmächtigen	emoghuciega	omnipotētis	kai palin	& iterum	Cap.7.
dannen er künff-	od onud	inde uenturus	erchomenon	uenturus eſt	
tig iſt	priduciſ		meta	cum	
			doxes	gloria	
zerichten	pitati	iudicare	krinai	iudicare	
die lebendigen	ſiue	uiuos	zontas	uiuentes	
vnd todten	i martue	& mortuos	kai nekrous.	& mortuos	
			hou tes	cuius	
			baſileias	regni	
			ouk eſtai	non erit	
			telos	finis	
Ich gloub	Viruy	Credo in	Kai es	& in	Cap.8.
inn geiſt b	u duhu	ſpiritum	to pneuma	ſpiritum	
heiligen a	ſuetu	ſanctum	to hagion	ſanctum	
			ton kyrion	dominum	
			kai	&	
			zoopoion	uiuificum	
			to ek	qui ex	
			tou patros	patre	
			ekporeuomenon	procedit	
			to ſyn	qui cum	
			patri	patre	
			kai hyio	& filio	
			ſymproſcy-	ſimul ado-	
			noumenon	ratur	
			kai ſyn-	& conglo-	
			doxazomenon	rificatur,	
			to laleſan	qui locutus eſt	Cap.9.
			dia ton	per	
			propheton	prophetas	
ein	yedan	unam	eis mian	in unam	
heilige	ſuetu	ſanctam	hagian	ſanctam	
allgmeine	kerſciantihku	catholicam	katholicen	uniuerſalem	
kilchen	cerkaf	eccleſiam	kai	&	
gmeinſchafft	optſinu	ſanctorum	apoſtolicen	apoſtolicam	
der heiligen	tſuetezeſ	communionem	eccleſian	eccleſiam	
			homologoumen	Confitemur	Cap.10.
			hen	unum	
			baptiſma	baptiſma	

	GERMAN.	ILLYR.	LATINA	GRAECA	LATINA
	ablaas	odpuſtyenye	remiſſionem	eis apheſin	in remiſſionem
	der ſünden	grihom	peccatorum	hamartion.	peccatorum.
				proſdocomen	Expectamus
Cap. 11.	*vfferſtändtnuß*	uzkertſenye	reſurrectionem	anaſtaſin	reſurrectionem
				nekron	mortuorum
	des fleiſchs	tilu	huius carnis		
	vnd leben b	i ſitt ch	et uitam	kai zoen	et uitam
	ein ewigs a	uiko uiſgi	æternam	aionion.	æternam
	Amen	Amen	Amen	Amen	Amen

FORMA PRECANDI, QVA DOMInus Ieſus Chriſtus dum in monte concionans interpretatur decalogum, docet quæ ſint hominibus bona, utilia & neceſſaria, utq́ petenda ſint pijs uotis à patre cœleſti, Matth. 6.

		GRAECA	LATINA	ITALICA	GALLICA	HISPANICA
Res 7. petuntur.		pater	pater	padre	pere b	padre
		hemon	noſter	noſtro	noſtre a	nueſtro
		ho en tois	qui (es) in	che ſei	qui es	que eſtas
		ouranois	cœlis	ne cieli	es cieulx	en los cielos
	1	hagiaſtheto	ſanctificetur	ſia ſanctificato	ſoit ſanctifie c	ſea ſanctificado
		to onoma	nomen	il nome	nom b	nombre
		ſou	tuum	tuo	ton a	tu
	2	eltheto	adueniat	uenga	aduienne	auenga
		he baſileia	regnum	il regno	royaume b	el reyno
		ſou	tuum	tuo	ton a	tu
	3	gennetheto	fiat	ſia fatta	ſoit faicte	haga ſe
		to thelema	uoluntas	la uolonta	uolunte b	uoluntad
		ſou	tua	tua	ta a	tu
		hos en	ſicut in	come nel	auſi en	aſſy en el
		ourano	cœlo	cielo	cieul	cielo
		kai epi	ſic in	coſi anchora in	coment en	como en
		tes ges	terra	terra	terre	la tierra
	4	ton arton	panem	pane b	pain	pan
		hemon	noſtrum	il noſtro a	noſtre	nueſtro
		ton epiouſion	quotidianū	cotidieno	quotidien	cotidiano
		dos	da	da	done	dale
		hemin	nobis	a noi	nous	a noſotros
		ſemeron	hodie	hoggi	auiourdhuy	en eſto dia
	5	kai aphes	et remitte	et remetti	et pardonne	y per dona
		hemin	nobis	a noi	nous	nous
		ta opheilemata	debita	debiti	ce que deuom	deudas
		hemon	noſtra	noſtri		neuſtras
		hos kai	ſicut et	come anchora	comme	aſicomo
		hemeis	nos	noi	nous	noſotros

aphiemen

GRAECA	LATINA	ITALICA	GALLICA	HISPANICA.
aphiemen	remittimus	perdoniamo	pardonnons	perdonamos
tois opheiletais	debitorib.	à debitori	a debiteurs	a deudors
hemon	noſtris	noſtri	nous	nueſtros
kai me	& ne	& non	& ne	& ne
eiſenegkes	inducas	inducer	induis	indugas
hemas	nos	noi	nous	nos
eis peiraſmon	in tẽtationẽ	in tentatione	en tentacion	en tentazion
alla	ſed	ma	mas	mas
rhyſai	libera	libera	deliure	libra
hemas	nos	noi	nous	nos
apo tou	à	dal	du	de
ponerou,	malo,	male	mauuais	mal
hoti ſou	quia tuum	perche tuo	car a toy	por que tu
eſtin	eſt	e	eſt	eſt
he baſileia	regnum	il regno	le roy aume	reyno
kai	&	&	&	y
he dynamis	potentia	la potentia	puiſſance	poteſtad
kai he doxa	& gloria	& la gloria	& la glorie	y gloria
eis tous	in	ne ſecoli	a	en
aionas	ſecula	de ſecoli	touſiourſmais	ſieglos
Amen.	Amen.	Amen	Amen	Amen

PRECANDI FORMVLA Chriſtiana.

GERMAN.	ISLAND.	ANGLICA	POLONICA	ILLYRICA
Fatter	*bader*	*father*	*oczyecz*	*otcſſe*
üinſer	*uor*	*our*	*naſch*	*naß*
der du biſt	*ſun ert*	*wliche art*	*ktory ieſtoß*	*ky ieſſi*
inn himmlen	*ai himmum*	*in heauen*	*wnyebye*	*na nebeßi*
geheilget werd	*helgizt bitt*	*halowyd*	*ſwyeczſie*	*ſuetiſſe*
din nam	*namb ti*	*thy name*	*gymye twă*	*ime tuoie*
zů komm	*komi*	*let komme*	*pꝛzydzy*	*pridi*
din	*titt*	*thy*	*twă*	*tuo*
rich	*rike*	*kyngdome*	*krolieſtwo*	*kralyeuſs*
gſchâchi	*verdi*	*be don*	*bandz*	*budi*
din	*tinn*	*thy*	*wolya*	*volia*
will	*vile*	*will*	*twa*	*tuoia*
wie	*ſuoms*	*as it is*	*yako*	*kako*
imm himmel	*ai himme*	*en heauen*	*wnyebi*	*na nebu*
alſo vff	*ſo ai*	*euen ſo in*	*y na*	*i na*
erden	*podu*	*erthe*	*ze mij*	*zem lii*
bꝛot	*burd*	*bread*	*chlieb*	*kruha*
üinſer	*voꝛt*	*oure*	*naſch*	*naſſega*
tâglich	*daglgt*	*daylye*	*pow ſchedny*	*ſsagdaniega*

	GERMAN.	ISLAND.	ANGLICA	POLONIC.	ILLYRICA
	geb	*geb tu*	*geue*	*day*	*dai*
	üns	*oß*	*vs*	*nam*	*namga*
	hüdd	*i dag*	*this daye*	*dzy ſay*	*danaß*
5	*vnd fergeb*	*og bergeb*	*and fergeue*	*a odpuſcz*	*i odeuſcia*
	üns	*oß*	*vs*	*nam*	*nam*
	ſchulden b	*skullden*	*dettes b*	*vyny*	*dughe*
	üinſer: a	*uorn*	*oure a*	*naſchā*	*naſſe*
	als ouch	*ſuo ſem*	*as*	*yako y*	*kako i*
	wir	*ui*	*we*	*my*	*mi*
	fergend	*bergebun*	*fergeue*	*odpuſczamy*	*odpuſciauam*
	ſchuldneren	*skulldun*	*detters b*	*wynowayczom*	*duſnikon*
	üinſern	*uorn*	*oure a*	*naſchym*	*naßim*
6	*vnd füer nit*	*ant leid*	*and ledenot a*	*nyewodz*	*i nepeliai*
	üns	*oß c*	*vs*	*naß*	*nats*
	in ferſuochung	*ki breiſtni*	*inte tentacion*	*napokuſchenye*	*u napaſt*
7	*ſonder*	*helldur*	*bur*	*alye*	*da*
	erlös	*brelſa tu*	*delyuer*	*zbaw*	*izbaui*
	üns	*oß*	*vs*	*naß*	*nats*
	fomm übel	*ber illu*	*from euel*	*od zlego*	*od nepriazni*
	das ſie	*tarz ſie*	*Amen*	*Amen.*	*Amen*

	EBRAICA	CHALD.	ARABIC.	ARMENIC.	LATINA
	Abinu	Abon	Abana	Chair mer	Pater noſter
	aſchär		illadhi	ur	qui
			phi		in
	baſſchamaim	debiſmaia	äl ſemeuathi	hierchins	cœlis
1	ijkkadeſch	nithkadaſch	thikuduſchu	des ſrboi ezifi	ſanctificetur
	ſchimcha	ſchmech	iſmeche	anoncho	nomen tuum
2	thabo	thatha	thāthā	ekeſſe	ueniat
	malchuthcha	malchuthach	malchutheche	archaiotaicho	regnum tuum
3	thiheiäh	nehuah	thechunu	eziſſiu	fiat
	retzoncha	tzibnach	meſcheitheche	chankcho	uoluntas tua
	chemo	ech	chema	urbis	ſicut
			phi		in
	baſſchamaim	debiſmaia	älſamai	hierkins	cœlis
	chen	aph	uealai	ie	etiam
	bearätz	beara	äl ardhi	etchri	in terra
4	lahhemenu	lahhman	chobzna	zachas mer	panem noſtrum
	thamid	deſan	chephaphna	hanaba	perennem
	tithen lanu	kanen	aahtana	gſord tour	da nobis
	haijom	iomna	phi	mez	hodie
			äliaumi	ais aur	
5	uattihſſa	ueſabuc	uäapher	ie touz	& remitte
	lanu	lan	lana	mer	nobis
	maſcheotheinu	harohhin	maiugibu	zaabartis	debita

alaina

EBRAICA	CHALD.	ARABICA	ARMENICA	LATINA	
		alaina	mer	noſtra	
chemo	echena	chema	urbis	ſicut	
anahhenu-	deaph hha-	hap harna	ie mech roſsumc	& nos remit-	
noſcini	nuſa bacan			timus	
		leman	bartbanas	debitoribus	
lehhobeinu	lehhatin	ahlı ta			
		ilãina	merus	noſtris	6
uelo	uela	uela	ie mi	& ne	
thebienu	thaa laan	thadhhulna	tamir zame	inducas nos	
leniſſaion	leniſaiona	ãl thegia ribu	zprtzo	in tentationem	7
ãla	ela	lachinã	tai ail	ſed	
hatzzilenu	phetzan	negena	phirkai zamer	libera nos	
min	min	min	i	à	
hara	biſſa	ãlſchãriri	zare	malo.	
Amen.	Amen.	Amin.	Amen.	Amen.	